


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 170

Unterstreichungen u. hss. Eintragungen auf d. S. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 29 ff.; 20, 21, 23, 37 [?], 42, 47 ff.

Leibniz' Hand S. 32. 55

v. a.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

# GERMANIA PRINCEPS
POSTCAROLINGICA SVB
# CONRADO I.
orientalium Francorum rege,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
*REGIÆ DOMVS SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**
PRINCIPE PORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.
DVCATVS MAGDEB. GVBERNAT. CETERA,
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
DN. IOANNE PETRO Ludewig/ICTO,
PORVSSORVM REGIS IN CVRIA IVDICIOQVE HERALDICO
EOQVE SVPREMO CONSILIARIO ET ADSESSORE, IVRIVM ET HISTORIARVM PROF. ATQVE DVCAT. MAGDEB. ARCHIVARIO,
INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS H. T. DECANO,
*PATRONO ET FAVTORE SVO MAXIMOPERE SVSCIPIENDO,*
PRO PRIVILEGIIS MAGISTRI PHILOSOPHIAE ET ARTIVM CONSEQVENDIS
PVBLICAE LITTERATORVM DISPVTATIONI
SVBMITTIT
AVCTOR
IOANNES DANIEL Gruber/
IPSHEIMENSIS FRANCVS.
A. D. SEPT. cIↃIↃcc x. H. L. Q. C.

---

HALÆ MAGDEB. ÆRE ZEITLERIANO.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

# CAPVT I.
# DE CONRADO, ANTEQVAM FRANCORVM REGNVM CAPESSERET.

## §. I.

Natalis Conradi ignoratur.

QVo die quoue Consule primum huius lucis frui cœperit vsura Conradus, non adnotarunt eius ortui propinquiores vel saltem haud ita multum remoti scriptores (*a*); nec



*a*) Sterile nimirum hic aramus solum; nec respondet labori semper emolumentum. Incredibile dictu, quam parci sint veteres, quam ieiuni recentiores, vbi ad Conradum I. deuentum est. Monumenta huius regis exstant quam paucissima, & quæ exstant vel obscura sunt intellectu ob interruptam rerum seriem, vel digestu difficilia, e disiectis quippe dissentientium scriptorum chartis colligenda: plane vt nullius res maiores tenebras & turpius historicorum vel silentium vel dissidium passas esse adseuerauerim. Idcirco nos, quanquam in discussione septennii, in quod sæculi res fortuna cumulauerat, & in quo hodienum eruditissimorum hominum iudicio, Germanicarum rerum cardo vertitur, ne vilissima quidem momenta prætereunda duximus: præstare tamen inprimis debebimus, vt, quantum fieri media nocte potest, curatissimam ordinis in turbatis rebus, verique in dissensu, & in obscuro perspicuitatis rationem habeamus; seduloque dabimus operam, vt subinde a nobis dicatur, quod ab iis, qui hoc lapidis voluerunt ante nos, dictum non sit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

Pater fuit Conradus Francorum Comes: Mater Glismuda.

id sciri multum interest. Quibus parentibus vsus fuerit constat: patrem quippe habuit cognominem Conradum Seniorem, Francorum Comitem (*a*); matrem Glismudam (*b*), Sueuicæ gentis opinor, illustrem feminam (*c*). Quibus

*a*) in Wederouia, magnæ dignationis in aula regia virum: colloquio enim, quod *Zundibolch* (Lotharingiæ rex) *habuit cum optimatibus Arnulphi & Caroli & suis apud S. Goarem, ex regno Arnulphi interfuerunt Hatto Archiepiscopus*, CVNRADVS *& Gebelhardus Comites*, auctore Reginone *ad annum 899.* Idem Regino *ad an. 897 & 905.* exponit fuse grauissimas simultates, quibus inuicem arserunt Wederouiensis & Bambergensis, Francorum Comitum, familiæ: quæ quum satis tritæ sint & decantatæ, crambem toties recoctam apponere denuo nolumus; id indicasse contenti, cecidisse Conradum *an. 905.* in prælio aduersus Albertum Bambergensem, Ottonis, Saxonum Ducis, nepotem, fortissime dimicantem ad Frideslariam. Ita enim Regino: *Cunradus in primo impetu multis vulneribus confossus exstinctus est. Peracta est cædes III. Cal. Mart. in Hassia, in loco qui dicitur Frideslar &c.*

*b*) cuius nomen primus in lucem protraxit Antiquitatum Fuldensium auctor e charta regia *pag. 128. Offerimus igitur & contradimus deo & sanctissimo eius martyri Bonifacio prædia duo -- vt fratres victum & vestitum inde habeant, & pro animæ nostræ matrisque GLISMVDÆ liberatione preces iugiter fundant.*

*c*) genus subobscurum est; neque enim vllum mentionis eius vestigium alibicumque exstat. Vt Sueuicæ genti eam adseramus, Eccardus Jun. facit, qui de Cas. S. Gall. *c. 1. Cunradus*, inquit, *oratorium ingreditur B. Othmari, auctoritate Rom. in sanctum elevati, (nam parentes eius erant, qui eum vexaverant) seque reum, quasi ipse interfuerit factis, ad eius aram reddidit, pallio quoque, auro & argento sanctum placauit.* Item: *Rex omni anno, dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulcrum eius, vti filius carnificum illorum, pro reatu in eum quasi proprio, misit.* At *Werinhere & Ruathardus Othmarum vexauerant, qui teste Walafrido cap. 4. de*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [8] - 2
PUBLIC DOMAIN

Quibus autem maioribus, quo auo atauoque sit progeneratus, anceps est & inter eruditos longa multumque iactata contentio. Sopiemus litem, qua tot æui medii annales perstrepunt, si Conradum ipsum nulla prorsus natalium cognatione Carolidis innexum fuisse asseuerauerimus. Interim ne more Alexandrino nodum Gordio æmulum proteruo ictu rumpere velle videamur (*d*), rationibus agendum est. Primum igitur Carolida- Non fuit Carolingus,



*4. de vita Othmari, Alemanniam ab Imperat. missi administrabant ea potestate, qua Berthold & Erchanger*, ait Goldastus *in notis ad h. l.* Sed coniecturæ sunt, vt dixi, e quibus hoc conficitur, aut Glismudam fuisse stirpis sueuicæ furculum, aut Conradum non fuisse generis Carolini. Enimuero pro peccatis maiorum, qui Othmarum vexauerant, satisfacit. Peccauerant Werinhere & Ruathardus, Sueuiæ Comites. Ergo sunt Conradi maiores. Maiores autem vel paterni sunt vel materni. Si paternos admittis, nouum quid, at parum dicis consentaneum, e Sueuiæ Comitum genere natum fuisse Conradum: & iis gratum facis, qui Conradum a Carolingica prosapia non masculina modo; sed feminina quoque quam longissime remotum volunt. Sed cum noua veris, consentaneis insolita præferre turpe sit historiarum conditori, in Sueuicas origines Conradum coniici non ferimus, vtpote cuius e Francorum genere ortus, non tamen regio, vbique celebrantur. Reliquum igitur est, vt maiores materni sint intelligendi & ob id ipsum Glismudæ nomen, vagum adhuc & natiuis sedibus excussum, Sueuorum stemmati postliminio inserendum.

*d*) quod facit 1) Anonymi vetus Chronicon Regum Francorum in Bibliotheca Vindob. apud Lambec. *Lib. 2. p. 394.* Reginonis Chronico MSCto sine vllo interuallo statim subiunctum, cuius auctor vixit sub Conrado II. Salico, quem in fine ait *adhuc regnare*, cum eius genealogiam, obscuram ceterum historicis, clare

1) quorum stirps defecit in Germania.

rolidarum stirpem cis Rhenum in Ludouico Puero desiisse, proxima istius æui ac proinde testatior memoria est (*e*). Deinde, cum tanto interuallo Germanicum

2) Conradus primum præteritus est.

imperium continua successione ad omnes Carolos descenderit, cur principes in vno Conrado tam diligentes

---

clare pertexuisset. Verba autem ita habent: *Mortuo Arnulfo, Ludouicus puer, eius filius, imperauit quatuor annos, cui Conradus*, deficiente sæpe dicta Imperatoria stirpe nobili Francorum, QVAMVIS NON DE EODEM STEMMATE ORTVS, *feliciter successit.* Quod testimonium eo pretiosum nobis est, quod prope abest a temporibus Conradi I. a partium studio quam longissime. Auctor enim nequaquam taciturus fuisset, si sui Imperatoris Conradi II. natales ex regio & incluto Francorum Carolingicorum sanguine deriuare licuisset. 2) Crusius Annal. Sueu. *Part. II. l. 3. c. 7. ex Auentino. Franci iure suo & Hatto Moguntinus Archiflamen, Otho regulus Saxonum, rebus Germaniæ & orientali Franciæ Conradum Hassum, filium Conradi, NVLLO GRADV CONTINGENTEM REGVM CÆSARVMQVE DOMVM, imponunt.* 3) Peucer. Chron. *lib. 4. Qui ex diplomatum & historiarum annotatis diligentius origines & propagationes familiarum inuestigarunt*, NEGANT hunc Conradum ex FRANCORVM SANGVINE ORTVM ESSE, *etsi de origine eius nihil certi vel explorati affirment.*

*e*) Wittichind. Vltimus *vero* Carolorum *apud orientales Francos imperantium Ludewicus ex Arnulpho natus erat.* Et, *Regi autem Ludouico non erat filius.* Regin. Supplem. *ad an. 911. Ludouicus rex, filius Arnulphi Imperatoris obiit, cui Cunradus*, regia iam stirpe deficiente, *in regno successit.*
Herman. Contract. *an. 911. Ludouicus rex* adolescens *moritur & Ratisponæ sepelitur, Post quem* deficiente in nostris partibus regio stemmate, *Conradus regnauit annis septem.*
Gobelin. Persona in Cosmodrom. *Ludewicus iste sine liberis decessit &* cessauit stirps regalis Teutoniæ a Carolo Magno *descendens.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [10] - 4
PUBLIC DOMAIN

tes fuisse dicere velimus, vt Saxoniæ Duci ante offerrent, quod Conradi natalibus, si iure minus, pro more tamen proque inueterata consuetudine debuerant? Porro non generis caussa; sed propter virtutem lectus est in regem. Tum frater Eberhardus, superstes defuncto, quomodo præteriri aut adiri Saxones potuissent? Quid? quod Conradus semetipsum a Francorum regum familia seiungit, quando reges ante se, nuspiam *maiores suos* vocitat, quod quidem ceteri factitarunt (*f*). Sequiores quidam diuersum, præter rationem, tradiderunt, Conradum Ludouici fratris filium appellantes (*g*): quod

3) deinde electus virtutis ergo.

4) frater Eberhardus præteritus est

5) Ipse Conradus se non talem venditat. nedum Ludouici Pueri nepos seu fratris filius.



*f*) Arnulphus & Ludouicus subinde in diplomatis, quibus confirmarunt veterum immunitates, Carolingicos reges *Maiores suos* nominatim vocant, ad hunc fere modum: *Maiores nostri, reges Francorum.* Conradus autem neque *Maiorum* in suis chartis mentionem fecit vmquam, & si recensenda essent superiorum cæsarum auctoritas & nomina, sola *Regum, qui nos præcesserunt; regum anteriorum;* appellatione contentus fuit. Ita enim in diplomate Corbeiensi, quod Schatenus producit ad an. 913. ipsius regis verba habent: *Concessimus, vt coloni eorum coram aduocatis eiusdem loci iustitiam facere cogantur, sicut ANTERIORVM REGVM temporibus præfato monasterio concessam fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet.* Et in Vltraiectensi, quod exhibet Chron. Belg. Ioan. a Leidis lib. 7. c. 10. *Notum fieri volumus, Episcopum suggessisse maiestati nostræ, vt constituta REGVM, QVI NOS PRÆCESSERVNT, scripta renouari iuberemus.*

*g*) *Godofredus* nimirum *Viterbiensis, Abbas Vrspergensis, Otto Frisingensis, Wernerus Rolewink, Chronographus Saxo,* veluti vno ore tradunt, Conradum regis nostri patrem fuisse Arnulphi Imperatoris filium & Ludouici fratrem, quorum fidem in hoc genere commenti vel propterea sequi nolumus, quod omnium longissime ab istius æui memoria afuerunt, cui propiores Witti-

quod creditum eſt vel falſo vel ob cauſſas alias (*h*).

§. II.

Wittichindus, Regino, Ditmarus nihil tale tradiderunt. Quibus autem ea ſe inſinuavit auctoritas, præſidium habent in charta Ludoviciana apud Chriſt. Brovverum Annal. Treuirenſ. *lib. IX. c. 17.* quo *nepotem ſuum* vocat rex Conradum, hoc eſt, vt interpretantur, fratris filium. Si nepotis vocabulum pro *fratris filio* accipias, nulla dicto fides erit, cum nemo vmquam Conradum ſeniorem Ludouici fratrem aut Arnulphi filium, dicere poſſit, quin eadem opera Eberhardum quoque & Rudolphum Gebhardumque, Conradi ſenioris fratres, Arnulphi filios & Ludouici fratres venditet, quod a nullo vmquam hiſtoricorum fieri meminerim. Sin ea ſignificatio, qua *generum* quoque ſeu filiæ maritum deſignat, potius arridet, itidem nutabit rei veritas, cum, vt paullo ante Gobelinus dixit, Ludouicus iſte ſine liberis deceſſerit, forte etiam ſine vxore, qui obiens *quatuor vix luſtra videret*, vt habet ſepulcri inſcriptio, atque vbique *puer*, *infans*, *adoleſcens* (Herm. Contract. *an. 911.*) vocaretur: Quamquam hac arte ex his tricis ſemet expediuerit Heiſius dans L'Hiſtoire de l'Empire l. 2. c. 1. vbi putat, Conradum forte pro more inter Proceres Germaniæ valde vſitato, vt connubia infantum inde ab incunabulis paciſcantur, pactum ſibi eſſe nuptias paruulæ Ludouici filiolæ, quæ poſt obierit, ob quam rem merito Auguſti nepos diceretur. Honoris igitur reliquum eſt vt vocabulum ſeu appellatio fuerit, qua quemdam amicorum Conradus ipſe quoque, vt infra videbimus, dignatus eſt Etwalgerum, ad eum fere modum, quo Cæſares noſtri Archiepiſcopos electores **Neven**, Principes electores **Oheime**; Galliarum reges hodienum bene de republica merentes Duces *Couſins* vocant.

*h*) Scriptores nimirum rudiorum temporum gentis & nationis nomen putauerunt eſſe generis; *Francus* enim vocatur; ſed non omnis Francus eſt Carolingus: idque putauerunt e re Conradi fore, cum ipſius forte non minus intereſſet Carolingum

## §. II.

Wilinaburgi forte natus est & educatus (*i*); lit- Patria Conterisque (*k*), vt tum erant tempora, leuiter imbu- radi, tus

gum se credi, quam Carolingorum interfuit, e veteri Merouidarum prosapia deriuari stirpem suam.

Denique diuisio historiæ Augustæ commodior visa scribentibus est, si, nullo intercalato, transitus e Francorum familia statim ad Saxones fieri posset.

Longiores si cui in excutiendo hoc problemate fuisse videamur, ignoscat velim, quando non postremum reipublicæ momentum in hoc positum esse loco, infra deprehendet.

*i*) *Wilinaburch* Wittichindo, *Wilineburg* Reginoni, *Wilmaburg* in diplomate Vltraiectino castrum, quod designamus, scribitur: quo *Limpurgum* multi; *Quedlimburgum* Centuriæ Magdeburgicæ; speciosiore autem ratione *Weilburgum Nassouiorum* indigitari autumat Meibomius: de quo Wittichindus ait: *Sepelitur* (Conradus) *in ciuitate sua.* Haud dubium ergo, quin *in ciuitate patris* potius sit, quam alibicumque natus filius.

*k*) Nondum plane sepultum fuisse bonarum litterarum studium apud erectiores animos, internitentis lucis radii & Eccardi Jun. perfunctoriæ narrationes docent. *Abbas enim S. Galli Burcardus Hadwigam, Burcardi Sueuiæ Ducis viduam, græcis litteris per Eunuchos ad hoc missos, quod paruula Constantino Græco regi desponsata esset, apprime eruditam, docuit Grammaticam:* Alius *Kotelindam monialem, Dialecticam.* Ipsa *Hadwiga certas odas in græcum transtulit: abeuntem discipulum Horatio & quibusdam aliis donauit libris: Virgilius erat in manibus ipsorum.* Quin ad memoriam posteritatis insignis dux vidua *Eccardum obire suam curtem iussit, ne quis Capellanorum otiaretur, quos illa nullo modo in curte sua otia tenere passa est.* Eccard. Sic *Ratbodus, ab Arnulpho Imp. confirmatus Traiect. Episcopus per Nannonem Philosophum in VII artibus liberalibus imbutus, flores eximios de Sanctis, tam Willebrodo quam Bonifacio composuit, ac integrum officium de translatione S. Martini consimiliter edidit.* Ioan. a Leidis Chron. Belg. *lib. 7. c. 7.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [13] - 7
PUBLIC DOMAIN

tus (*l*), præter vernaculam eius æui latinamque linguas (*m*) græcam coluit, cuius Bouonem quemdam habuit in aula interpretem (*n*): artis muſicæ mirus amator, ſecutus iudicium Epiſcoporum (*o*); quod genio moribusque eius apprime conuenire videtur, vtpote qui lepidis-

doctrina,

*l*) cuius quidem rei non aliud ſpecimen habemus, quam quod rex libenter ſcholas intrarit viſitaritque diſcentes, in monaſterio S. Galli. *Ibi cum in refectorio cibum caperet infantulosque per ordinem lectitantes audiſſet, analogio deſcendentibus aureos in ora ad ſe eleuatis miſit. Poma quoque in proceſſione infantum anteſterni iuſſit in medio Eccleſiæ pauimento, & cum nec vnum paruiſimorum moueri nec ad ea attendere vidiſſet, miratus eſt diſciplinam.* Eccard.

*m*) Habuiſſe Francos & Germanos diuerſam a latina (ſatis ceteroquin, licet lutulentiore, etiam in vulgus nota) linguam, teſtantur non ſolum formulæ fratrum Carolingicorum, quibus in diuidundis terris patriis ſunt vſi, in quas habentur ampliſſimæ commentationes, inſertæ corpori hiſtoriæ Francicæ; ſed & formula ſacerdoti detegendi peccata in annal. Pithœan. *ad an. 866.* exhibita & *Pſalterion Notkeri in Germanicam linguam translatum, Arnulpho imperante.* Non negamus tamen cum *Vadiano*, latinas litteras plebem vtcumque nouiſſe, quas eminentioris indolis & fortunæ homines, vt de *Hadwiga* vidimus, coluerunt exquiſitius.

*n*) Wittichindus. *Hic* (Bouo, Abbas Corbeienſis cum Ottone I. in Galliam profectus) *erat vir ſapiens & clarus. Huius patris auus* (ſi ſalua eſt lectio) *Bouo græcas litteras coram Chuonrado rege legendo factus eſt clarus:* quem *in ſchola Oſnabrugenſi, vbi iſtæ publica auctoritate docebantur, tantum profeciſſe*, Meibomius ſuſpicatur *in notis.*

*o*) quippe Colonienſis ceterique ad Rhenum Epiſcopi *celebrante rege Paſcha ad Moguntium* concinebant præfecto Muſices, *velut olim diſcipuli*, referente Minimo in vita Notkeri *c. 16.*

*p*) & qui

pidisſimi fuit ingenii adoleſcens (*p*): proſperis & ad nutum fluentibus rebus in lætitiam nimis effuſus; reflante autem fortuna, idem abiectisſimus (*q*). mores.



*p*) & qui genio indulſit plus ſatis. Comitatis eius & Eutrapelias ceterarumque, quæ in recenſionem Ariſtotelicam irrepſerunt minoris pretii virtutum, quam plurima narrat ſpecimina Eccard. de Caſ. S. Galli, quæ ſtrictim attingere aut relegere vel propterea non pigeat, quod, teſte Plutarcho in Alex. non vt quæque nobiliſsima actio eſt, ita maxime virtutem aut improbitatem cuiusque patefacit: *Immo vero*, inquit, *ſæpe & verbum vnum & iocus aliquis magis declarauit, qui cuiusque mores eſſent, quam pugnæ, in quibus decem hominum millia ceciderunt, maximaque prælia & vrbium obſidiones.* Nihil igitur frequentius eſt quam legere iſthæc: *Loco* (monaſterio S. Galli) *tribus noctibus per omne natale domini* in omni hilaritate *immoratus eſt.* Et, *longum ſit dicere, quibus* iucunditatibus *dies exegerit & noctes.* Et iſta: *Rex veſperum ac noctem cum egiſſet hilariter, diluculo conuentum fratrum petens omnium votis fauentibus* fit frater conſcriptus; *tum vnicuique fratrum tribuit vnam libram argenti. Aguntur celeres miſſæ ſuper altare: impletur refectorium: præmaturatur prandium. Vix vnam lector recitauerat periodum: Caritas, quæ non agit perperam; licenter ſpreuit diſciplinam. Nemo ait: hoc, aut illud eſſe inſolitum. Saltant Satyrici; pſallunt Symphoniaci: numquam tale per ſe tripudium Galli habuit refectorium. Grauiores fratrum rex ſpectat inter ſtrepitum: ridet quorumdam vultus contractos propter rerum talium inſolentiam.* Et ſacellani omnibus intererant & monachi *diſcedentem* nihilominus *lacrimoſis laudibus proſequebantur. Æſtiment* igitur ex vngue, qui volent, leonem. Browero certe, Annalium Treuirenſium auctori, hoc tripudium & muſicus concentus ſtrepitusque Satyrorum, aures ita occupauit, vt exaudire magnificas laudationes regis non poſſent, dum *lib. 9. otio* eum *& tranquillitati tumultus armorum poſthabuiſſe* ſcribit.

*q*) Sic cum de capto audiret Epiſcopo Conſtantienſi, Salomone, ſacel-

§. III.

Virtus

Beneficentiæ ac liberalitatis laudem nactus (*r*) non minus bellica virtute cluit, qua ipſum (*s*) parentemque gentiliciæ diſcordiæ acuerunt, præluſitque ingenti, quod ſubſecutum eſt, exitio (*t*). Pertinaciæ tamen inuidiæque & ſuperbi planeque implacabilis animi multa ſeſe oggerunt rimantibus indicia. Sic iuſte æſtimantes regem, quod de Galba Tacitus, magis eum extra vitia, quam cum virtutibus fuiſſe, pronuntiabunt: cum illorum multa adnotata ſint ſpecimina; harum nonniſi per nudas prædicationes ſine factorum recenſione perennet gloria (*u*). §. IV.

& elogia.

ſacellano ſuo, *patientiam regiam nullo modo tenere potuit: ſeorſim ſedens fleuit: erumpebant enim lacrimæ & non poterat ſe continere.* Eccard.

*r*) Wittich. *an. 1. largitate ſerenus:* qua promeritus eſt omnium beneuolentiam, maxime ſacerdotum. Speciatim autem nimia in Sangallenſem Conſtantienſemque Antiſtitem indulgentia grauem offenſionem *Comitum Sueuiæ* incurrit, *quorum vtrorumque multa ditioni ſubtracta ſunt per munificentias regias in vtrosque Epiſcopos, ſurgunt inde inuidiæ & alia vtrorumque in ambos, præter ſcelera, quæ in reges ipſos machinati ſunt.* Eccard.

*s*) Non ab armorum cura intactum fuiſſe Conradi animum, ſuſcepta in Lotharingiam aduerſus Comites auſpicio patris expeditio oſtendit. Regino *ad an. 905.*

*t*) Pater enim Conradi eodem anno indigniſima nece exſtinctus eſt. Regin.

*u*) *Vir per omnia manſuetus, prudens & diuinæ religionis amator.* Supplem. Regin.
*Egregius Dux,* in diplomate Ludouici Broweriano & Ditmar. *lib. 1.*
*Vir fortis & potens, domi militiæque optimus, largitate ſerenus & omnium virtutum inſigniis clarus.* Wittich. *Annal. 1.*
*Vir ſtrenuus, bellorum exercitio doctus,* Liuthprand. *l. 2. c. 7.*
*Vir ſapiens, fortis & victor,* Beneu. de Rambaldis. &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [16] - 10
PUBLIC DOMAIN

## §. IV.

Vxorum eius & liberorum, vt ceterarum fere rerum omnium, exigua sane ac tenuisima est & valde confusa memoria. At cum multa sunt incerta (*w*); tum

Matrimonium improle,

*w*) Guilielmus de Nangis, e cœtu religiosorum S. Dionysii, *Placidiam* quamdam Conrado, filiam Ludouici Pueri adscribit vxorem. Verba, quæ habentur in Chronico, ista sunt: *Arnulphus Imp. Rom. genuit Ludouicum Iuniorem Imp. qui Ludouicus duas tantum habuit filias, Placidiam & Mathildem: quarum primogenita* Placidia *nupsit* Conrado, *filio Conradi Comitis, qui post Ludouicum Iuniorem imperauit.* Mathildis *vero data est vxor* Henrico *filio Othonis ducis Saxonum: qui Henricus, mortuo Conrardo & eius vxore Placidia sine heredibus, imperauit cum vxore sua Mathilde, de qua genuit primum Othonem.* At Henrici I. vxor Mathildis filia Theodorici fuit, Wettinensis Comitis, Wittekindei, quod Wittich. *Annal. 1.* Ditmar. *lib. 1.* Paullus Langius in Chron. Citizensi aliique Saxones vno ore contuentur. Quam falsum autem per adductas rationes est, Mathildem fuisse Ludouici Infantis filiam, tam falsum est, Placidiam fuisse talem, cum is, vt diximus, *decesserit sine liberis.* Gratis tamen hæc Nangium finxisse aut per malitiam excogitasse nolim dicere; in scriptura nominum crediderim & in designandis personis eum hallucinari. Ludouicum *Iuniorem* appellat Arnulphi filium, qui *Puer* appellandus erat. Iunior enim Ludouicus erat Germanici Ludouici filius, illius, cuius filia *Placentia* (e quo forte nomine conflata Nangii Placidia est) ex sententia nonnullorum, Conrado nupserat, ex qua nullam suscepcrit prolem. Quod tamen non magis commendaret Conradum, quam Carolorum sanguinem ex Alpaide, Ludouici Pii filia, Begoni Parisiorum Comitis vxore, quod volunt aliqui, traxisse; aut Ottoni, Saxonum Duci, habuisse in matrimonio Liutgardin, Arnulphi Imp. filiam, & sororem suam tradidisse Ludouico Iuniori.

Blondell.

tum illud est certissimum, habuisse Conradum in matrimonio Cunigundam sueuam (*x*), Arnulphi Boioariæ Ducis matrem; Liutpoldi autem viduam, ex qua vtrum sobolem susceperit, itidem obscurum est (*y*).

§. V.

lautum patrimonium.

Præcipua commendatio præter virtutem fortunæ bona fuere. Tenuit enim amplissimas largissimi patrimonii & per omnem *Hassiam*, *Franciam*, *Rhenanam prouinciam*, *Lotharingiamque* disiectas possessiones (*z*) ex quibus

*x*) Cunigundam Liutpoldi seu Leopoldi Boioariæ Ducis *an. 905.* ab Vngris occisi viduam Conrado tribuit Chronicon Laurisham. & breue Chron. S. Galli apud Fr. du Chêne T. III. Bertholdi & Erchangeri, Sueuiæ Comitum, sororem. Ita enim annal. Hepidani ad *an. 913. Agareni Alemanniam intrarunt. Erchanger & Berthold frater eius & Vodalrichus Comes, auxiliante illis* nepote eorum *Arnulpho*, optimo *Duce Boioariorum, totum exercitum eorum iuxta Ine fluuium penitus occiderunt, nisi XXX. viros.*

*y*) Liberos regem habuisse nullos, nulla diserta quidem scriptorum confessio est; neque tamen cuiusquam mentionem inuenimus. Ex eo interim, quod Eccardus *virili* eum *prole destitutum* fuisse ait, gener regis forte exsculpi posset apud Wittichind. *Burcardum quoque & Bardonem, quorum alter* gener regis *erat, in tantum afflixit* &c. Sed præterquam quod de liberis nil proditum memoriæ est, repugnat temporis ratio quoque. Filia enim ex Cunigunda nata vix decennis esse adhuc potuisset, nisi quam ex altera vxore Placentia, quam sine heredibus tamen obiisse dixit Nangius, natam fuisse velis. Tutissime per generum sororis maritum intelligimus, sic, vt Burcardum Conradi senioris filiam duxisse statuamus, cuius ergo Thuringiæ ducatum in generum transtulit, quem post Henricus sibi vindicavit.

*z*) Quæ totius Vederouiensium Comitum familiæ propriæ fuerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [18] - 12
PUBLIC DOMAIN

quibus partem vxor non minus ac ipſe ad pias cauſſas, vt aiunt, deſtinauit, monachis nimirum ſacrificulisque addictam. (*aa*). §. VI.

runt. *Thuringiam* ſibi ab eiectione Popponis commendatam, ſponte dimiſit Conradus ſenior. Regin. *ad an. 892.* qui *in Haſſia, in loco, qui dicitur Frideslar cum multa turba peditum & equitum reſidebat. ad an. 905.* quæ propterea *Francorum pagus* vocatur ab Anonymo poeta. In Francia Eberhardus & Rudolphus, Conradi ſenioris fratres, *electi* dicuntur *ſua portione* terrarum, per Albertum Bambergenſem; quas, occiſo aduerſario, recuperarunt. Regin. *ad an. 903.*

*Briſag & aliæ vrbes* circa Rhenum, *contra quas pugnarunt* Saxonici reges, *erant in ditione Eberhardi*, regis fratris. Wittich. *annal. 2.*

*Zuindibolch Gerardum & Matfridum Comites terris ſuis expulit.* Regin. *897.* quas *inter ſuos* diuiſit, in quibus Vederouienſes Comites fuerunt. Anno enim *905.* poſſeſſionem *S. Maximi violenter inuaſam*, patri vindicauit noſter: quapropter Mutius Chron. *lib. XII.* Conradum noſtrum *Francorum Ducem & Principem Lotharingiæ* vocat. Quin *an. 900. Gerardus Comes Odam vxorem Zuindibolch regis ſibi in matrimonium copulat.* Regin. cui *commiſſum eſſe Lotharingiæ Ducatum* Gobelinus tradit. Vtrum fuerit is Vederouienſis Gebelhardus, iam in medio relinquo.

*aa*) Chron. Laurisham. du Chêne tom. III. *Huius regis vxor* Chunegunda *locum proprietatis ſuæ*, Ginga *appellatur, cum omni iure regalique præcepto, ſancto Nazario tradidit atque ibidem in Eccleſia, quæ dicitur Varia ſe tumulari præcepit. Ipſe quoque prædia ſua in Wattenheim & Virnheim, in pago Rhinicowe, in Comitatu Vtonis, quæ Capellanus eius Werinolf in beneficium conceſſa tenebat, poſt obitum illius ad monaſterium donauit.* Cui villa *Hanſchuesheim* Sigolfo monacho ante tradita, ab eius obitu ſimiliter conceſſa eſt.

Fuldenſi collegio *prædia duo a parentibus hereditario iure collata ſibi, hoc eſt, in Hagen & Sumerode, cum omnibus ſuis appendiciis,*

## §. VI.

Fuldenſium monachorum Aduocatus fuit.

Nec ſatis habuit de ſuo multum ſacerdotibus tribuiſſe: quin ſe ipſum quoque huius ordinis hominibus totum impendit; Fuldenſis enim Abbatiæ, quo tempore ad regnum capeſſendum euocatus eſt, *Aduocatus* & Patronus fuit (*bb*).

CAP.

*cum cunctis terrarum ac ſiluarum terminis donat.* Brower. Ant. Fuld. p. 128.

Etiam *quidquid circa Steinheim, villam S. Othmaro a Karolo datam, vbi quædam loca regii iuris adhuc erant, regii fiſci erat, totum in manum aduocati ſuper aram eius tradidit.* Eccard. de caſ. c. 1.

*bb*) Qua de re cum vix quemquam quidquam tradere meminerim, exſcribam luculentisſimum diploma Hattonis Moguntini, quod exſtat in Ant. Fuld. p. 256. --- *Ego Hatto, Dei gratia & miſericordia diſpenſante Moguntiacæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, regnante Domino Ludouico, glorioſisſimo rege & reſidente in palatio Triburienſi, cum reuerentisſimo Abbate Huggi Fuldenſis monaſterii, ceterisque eiusdem monaſterii fratribus & clericis, ad eorum omnium præſentiam, quidquid proprietatis habui in Maſſenheime marcha & in Wicnino mareha & in Rauersheime marcha & in Geraha marcha & in Lichſamene marcha, hoc totum in manus Gerhardi Comitis & CHVNRADI Comitis dedi, vt cum omni integritate ad ſepulcrum pretioſisſimi Chriſti martyris Bonifacii in monaſterio Fuldenſi contraderent - Datum palatio Triburienſi coram rege Ludouico, qui & conſcribi & ſigillo ſuo inſigniri iuſſit, anno dominicæ incarnationis* ID CCCCX. *Indict. XIII. anno vero Dom. Ludou. Sereniſſimi regis XI. octauo idus Aprilis.*

*Ego in Dei nomine Hatto Archiepiſcopus & Cancellarius has litteras iuſſu meo ſcriptas recognoui & manu propria ſubſcripſi.*

† *Signum* GEBEHARDI *&* CHVNLADI *Comitum, qui easdem traditiones rerum fideli manu ſuſceperunt, & hoc coram rege iurauerunt, vt eas S. Bonifacio martyri fideliter delegarent, & præcepto regio confirmarent.*

# CAPVT II.
# DE CONRADO, REGE.

## §. I.

Francorum opes diuisionibus conciderunt.

FRancorum nomine, quod vltra mortalitatis vota humanarumque rerum fastigium robur Caroli Magni euexerat, nihil est clarius, nihil illustrius, nihil celebratius. Naturali impetu valentes prosperrimisque successibus & aliis ex aliis victoriis cumulati, veluti fortunam soli omnium mortalium haberent in potestate, quicquid Galliæ, Italiæ Germaniæque infinitis propemodum spatiis continetur, vno imperio complexi sunt, totius orbis opibus haud impares futuri. Verum enim vero hæc tot gentium sedibus suis diuersarum moles, vt nihil est in omnibus, quæ infra lunam sunt, diuturnum; immensæ hæ & fidem prope excedentes opes, inexhaustaque vastissimarum possessionum interualla, ab excessu victoris diuisa in partes, concuti, nutare, adfligi.

## §. II.

Speciatim Germania ab obitu Ludouici Infantis soluta,

Et Germaniæ quidem res, quorsum omnis hæc suscepta commentatio pertinet, tum leuiter conuulsæ paullatimque velut neruis concisis & solutis compagibus inclinatæ ad ruinam, post demum annos centum & quod amplius, conciderunt; ex quo nimirum cisrhenana Carolorum posteritas in Ludouico vltimo exstincta est (a). Quæ enim a maioribus in vnam veluti ciuitatem compulsæ nationes regnum Germaniæ constituerant, tum sui iuris factæ abierunt in partes, seorsum sibi consulturæ, suisque, quos vnaquæque vellet, vsuræ Ducibus. §. III.

a) Vid. *cap. 1. lit. e.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [21] - 15
PUBLIC DOMAIN

§. III.

quam collecturi Franci regem Ottonem postulant,

Franci autem, populus Rhenouicinus & in regno primarius aut adfectans saltem principatum, fluentem arenam, hoc est, solutas prouincias in pristinam communionem collecturi, rege opus esse censuerunt, quo veluti communi capite discessum a reliquo corpore meditata aut auulsa membra continerentur. Quo consilio a suis primum quidem Comitibus eligendis abstinentes, quibus maius robur & grandius præsidium adiungendum esset; Ducem opibus, consilio gratiaque florentem, Ottonem, Saxoniæ Thuringiæque Dominum, sub quo ceteræ gentes facile coirent, adeunt (*b*): huic fasces; huic regnum; huic summa, quæ tenent, quæue possunt, deferunt omnia. Et ille quidem multum in imperiis magistratibusque versatus non auersaturus videbatur, quod alii per ignes ferrumque peterent, præsertim cum consuetudine traheretur ad imperandum, modo regis Ludouici tutor omniumque rerum in Germania, inde ab Arnulphi morte, actor. Verum Otto, quod erat vir subactus vsu magnaque animi altitudine præditus, Saxoniæ amplissimum Ducatum Francorum corollis mutare noluit. Reliquæ enim Germaniæ prouinciæ vtrum Francorum imitaturæ exemplum essent, incertum; cogere ad obsequium inuitas, aleæ plenissimum nefasque iudicauit.

qui negotii difficultatem veritus,

§. IV.

*b)* Wittichind. *Omnisque populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere regni.* Lehman. Chron. Spir. l. 3. c. 51. Herzog Otton haben seiner Macht und großen Ansehens halben eines Theils Fürsten des Reichs / als Francken und Sachsen / das Käyserthum aufgetragen.

## §. IV.

Præcipuo tamen quodam patriæ amore ductus candidiſſimus ſenex, cuius paci & tranquillitati, quod disiecta tum Gallorum, Hunnorum, Venedorum inſultibus impune pateret (*b*), conſulendum ſtatuit, canitiem oſtentans confectosque ſenio humeros tanto oneri ferundo non eſſe, cauſſatus (*c*); Conradi Wederouienſis, cuius natales modo luſtrauimus, vigorem & lacertos

Conradum, ſaluo iure ſuo, commendat,

C (*d*) com-

*b*) 1) Reg. *ad an. 905. Hungari ſuperioris anni victoria elati regnum Ludouici ſub tributo redigunt: factusque eſt per nonnullos annos populus hic tributarius.* Liutpr. *lib. 2. c. 2. cum Duces non ſolum pugnam non inferrent hoſtibus, ſed, vt prouimi caderent, anhelarent, vt, dum proximi caderent, ſoli ipſi liberius regnarent.* Liutprand. *lib. „1. c. 6.* Sic *an. 908.* Saxoniam Thuringiamque; *an. 909.* & *910.* „Germaniam vniuerſam deprædati ſunt, nemine defendente, „cum regis parum valeret auctoritas & ducum quisque per pu„blicas turbas emergere ad principatum decreuiſſet. *Lehm.* 2) Galli hereditati Lotharingicæ imminebant. Nam quod ad pacta attinet, iam olim Carolus Caluus, cum in Lotharingiam impreſſionem feciſſet & a Ludouico Germaniæ rege monitus eſſet, *ſe cum fratre, non cum nepotibus pepigiſſe,* reſpondit. Annal. Metenſ. *ad an. 876.* 3) Aduerſus Obetritos & Sorabos Saxoniæ Duces excubarunt.

*c*) Wittich. *Otto vero quaſi iam grauior recuſabat imperii onus. Eius tamen conſultu Cunradus quondam* Dux Francorum *vngitur in regem.* Bodon. Syntag. Gandeshem. *At Otto ſe NON POTENTEM ARMIS ob naturæ imbecillitatem cauſſabatur, tanta rerum cura impendente.* Gobel. Perſ. *Et cum Ottonem Ducem Saxoniæ decernerent eligendum, ipſe ſe propter ſeniam excuſauit ſuaſitque eligi quemdam POTENTEM ex genere* (non regio ſed natione dumtaxat,) *Francorum, Conradum nomine: & conſenſerunt principes in illum & ceſſauit ſtirps regalis Teutoniæ e Carolo Magno deſcendens.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [23] - 17
PUBLIC DOMAIN

(*d*) commendauit eumque passus est regnare, si posset, modo Saxoniæ Thuringiæque Ducatus sibi saluus integerque esset (*e*), suaque auctoritate perfecit, vt, quoad ipse viueret, clypeus & munimentum regni, res, non totum quidem annum, tranquillæ starent.

§. V.

cuius aula vaga,

Conradus igitur, anno salutis *DCCCCXII.* ineunte, eo, quo diximus modo, electus (*f*) Triburias, veterem regiam,

*d*) *Erat autem ipse Dux Franciæ Conradus & ætate pollens & viribus plurimum valens; vnde videbatur regiis rebus opem ferre posse. Rex igitur constitutus nihil sine Ottonis consilio vel tentauit vel perfecit. an. 913.* Bodon. Synt. Gandesh. Vid. *c. 1. lit. h.* Libenter facio, vt caussas adsignem, quam obrem commendatus sit Conradus, vt pateat, genus in nullum censum veniisse. Cuius si ratio, & non potius integritatis virium, habenda fuisset, nihil impediebat, quo minus summa rerum penes Saxones statim resideret, propter euidentissimam cum Carolidarum familia propinquitatem & duplicatum vinculum affinitatis.

*e*) Quo referendum est sollemne istud Wittich. *Penes Ottonem tamen summum semper & vbique viguit imperium.* Quod cum sequiores nonnulli parum intelligerent, Ottonem socium & æmulum finxerunt in regno Conradi, qui tamen anno exeunte discessit e vita.

*f*) Mirus est scriptorum in recensendis populis dissensus, qui Conradum elegerint, quod rem adducit in suspicionem. Luitprandum enim audio commemorare, vt *a cunctis populis* sit *ordinatus*: Frisingensem & Viterbiensem, vt *consensu omnium orientalis Franciæ* sit *rex creatus.* At ille exterus; hi remotiores ab istius æui memoria sunt: & propriores *Saxonum* modo *& Francorum* mentionem iniiciunt. Non ignoro quidem, per Francos orientales esse nonnumquam intelligendos omnes populos Germaniæ; sed tum maxime, *cum ceterarum nationum nulla mentio*

regiam, ſollemni ritu intrat (*g*). Ceterum, vt vagæ tum Carolidarum ſedes erant (*h*): ſic Conradi regia

 non

*mentio adiicitur*, quod fere ſuperuacaneum eſſet. Sic annales Franc. *ad an. 820. & 823.* Franciam orientalem a Saxonia, Boioaria & Alemannia diſtinguunt. Et de Alemannorum quidem Boioariæque ducum conſenſu nec vola, nec veſtigium vllibi exſtat. Ne in anno quidem, quo ad regni gubernacula admotus eſt Conradus, quod magis mireris, conſentiunt ſcriptores. Multi annum *911.* nominant, in quibus ipſum Reginonis ſupplementum: aliqui annum *913.* accuratisſimi vero certisſimique medium ſecant & annum *912.* laudant, quod Lambertus Schaffnaburgenſis facit, cuius in temporum putatione ſollertiam ſuſpexit Scaliger, ipſe magnus temporum putator, & Hermannus Contractus & Sigeb. Gemblac. aliique. Et Regino conſentiret, ni ſupplementum a recentiore quopiam adiectum eſſet, quem anno ſerius numerare non experientia ſolum, ſed confeſſione Chiffletii quoque in Vindiciis Hiſp. didicimus. Clar. Tollnerus hæc ita conciliat, vt menſ. Decemb. an. 911. electum regem dicat anno ſequenti capeſſiuiſſe regni curam. Menſem Februarium eius initiis e ductu fili hiſtorici recte adſignant.

*g*) Triburiis, quæ inter Wormatiam & Moguntinum agrum olim ſitæ dicuntur, domicilii ordinarii gloriam annales tribuunt. Sic Carolus Craſſus *menſe Nou. circa tranſitum S. Martini Triburias venit.* Regin. *ad an. 887.* Sic Moguntinus Archiepiſcopus diploma dedit *e palatio Triburienſi coram rege Ludouico*, quod vidimus. Sic noſter quoque diploma conſignauit *Triburiis*, monaſterio S. Michaelis in Aberinesburg datum: cui ita ſubſcriptum eſſe deprehendo: *Wodelfridus Cancellarius ad vicem Pilegrini Archicappellani recognoui. Data X. Kal. Septembr. in monte Abirinesburg Anno Dominicæ Incarnat. DCCCCXII. Indict XIII. An. I. regni Chunradi glorioſiſſimi regis. Actum ad Triburiam palatio regio feliciter, Amen.* Tollneri Cod. Diplom. Palatin.

*h*) Nam ante Ludouici Bauari tempora nondum mos ille inoleuerat,

non vno eodemque loco ſemper fuit, quum modo ad Alpes & lacum Acronium (*i*), modo Ingelhemii Moguntiæque & Wilinaburgi, Fuldæ quoque & Corbeiæ & in Herolfelde, Conſtantiæ item & in S. Galli monaſterio vtplurimum eſſet adeundus (*k*). Miniſtris autem ſagacioribus fidelioribusque per craſſum temporis ſtuporem vti tum non potuit, quam ſacerdotibus, in iisque Moguntino & Conſtantienſi Præſulibus, Hattone (*l*) atque

miniſtri ſacerdotes erant.

uerat, de communi hiſtoricorum ſententia, vt reges certo loco permanerent; ſed tamquam aquilæ Imperii prouincias ſolebant peruolare, quo nusquam eorum præſentia poſſet deſiderari. Adlzreit. *p. 2. an. Boi. lib. 7. c. 85.*

*i*) *Qualiter* ad Alpes (aulam ſcilicet regiam) *fraude Hattonis de vrbe Pabinberk detractus capite ſit plexus* (Albertus), *ſcribere ſuperſedeo.* Eccard.

*Salomoni cum aliqua* Potamum, *Cameræ nuntiorum iuris oppidum pertinentia a regibus darentur.* Et, *Vir dei videns ſe ætate in graveſcere poſt Paſcha proximum adiit Palatium & omnia loca chartis & ſigillis tum regis Conradi fecit roborari.* Eccard. *c. 1. Potamum*, ait Goldaſtus *in not. p. 108. tempore Carolorum & Ludouicorum, oppidum fuit & quidem ſedis Imperialis, quod teſtantur diplomata monaſterii Augienſis, in quibus ita legitur: Datum in palatio noſtro Imperiali Potama. Ab hoc oppido lacui nomen inditum eſt Potamico, cum prius Acronius diceretur.*

*k*) quod ſuppeditant ſubſcriptiones diplomatum & priuilegiorum, quas ſubinde adferemus, geſta regis per continuam annorum ſeriem deducturi.

*l*) Quin Eccard. ait: *Sic quoque ipſe* (Salomo) *& Hatto ille Moguntinus Archiepiſc. poſt regem imperium tenuerunt.* Operæ ergo pretium videtur in horum fata altius inquirere. *Et Hatto* quidem *ex Franciæ regum ſtirpe oriundus*, quod Hiſt. Eccl. Gothan. vult, iuuenis *Elwangenſi* conuentui præfuit annos XVII. Abbas dehinc

atque Salomone (*m*); quorum vterque Cancellarii nomen

C 3 in

dehinc *Fuldenſis*; porro *diuitis Augiæ* rector; ad vltimum, *anno* nimirum *891. in Maguntiacenſi Eccleſia Metropolitanus conſecratur.* Regin. Ludouicum Puerum e ſacro fonte ſuſcepit tutorque eius inde a VII. ætatis anno fuit. Quibus moribus imbutus, quomodo adfectus fuerit, partim e diplomate, quod ſupra exhibuimus, partim e vita Salomonis eluceſcit. Obiit haud ita multo poſt electionem Conradi regis, licet multi ſint ſcriptores, qui ipſum Conrado ſuperſtitem clamitare audeant, ignorantes, Altheimenſi Concilio *an. 916.* Hattonem non amplius; ſed Herigerum quemdam Archiepiſcopum Moguntinum, interfuiſſe. An forte ſic Hattonis quoque criminationes dilui poſſent? Alius certe Hatto ille eſt, quem a muribus comeſtum fabulantur *an. 968.* Vid. Serrar. rer. Mogunt. Schatenus *ad an. 913.* inde ex odio eius tam multa conficta putat, quod penes ipſum tum poſt regem ſumma rerum moderatio erat.

*m*) Salomo *parentibus claris & illuſtribus natus, clericatu initiandus, ab Iſone magiſtro delicatius educatur. Ad maximas res intenderat animum ſcholisque ablatus Capellanus fit Ludouici regis, cuius ſingulari gratia Elewangis adhuc Canonicus præficitur; poſt etiam Campidonenſibus, variis ſuimet & loci damnis, illum detrectantibus, præponitur. In proceſſu autem, Hattone, ſibi propter animi acutiſſimam ſollertiam amiciſſimo, plurimis locis præficitur; tandem & nobis; poſtremo & Conſtantiæ Paſtor & Epiſcopus efficitur. Monachis frater adſcriptus tradidit de prædiis, quibus abundabat, S. Gallo locum, qui Golda dicitur. Talibus homini velut iam cum fortuna ludenti ad votum cedentibus, aulam regis, adiit; Capellanus factus, eius fit intimus.* Et certe eius fortunæ, *cum captum audiſſet, illacrymatus eſt. Potens erat: ædificat Eccleſiam in honorem S. Crucis; ibi ſepeliri ſe velle dicebat. Nimis tamen in ſolens ſemper erat. Conuiuia fratribus duodecim diebus in anno, Kalendis ſingulis, hilariter facere ſueuit. Gloriabatur inter cetera de muneribus regis Arnulphi. Nam, vt id genus hominum eſt, laudis auidiſſimus per quædam fuit. Nudus*

aliquan-

in chartis regiis gesſit: quibus adde Pelegrinum, Colo-
nienſem, qui in omnibus fere poſt regem ſubſcripſit. Ni-
hilo-

aliquando *per anam adiit: peccata defleuit, ſæculo renuntians. At quod respublica conſiliis hominis carere non poſſet, rex eum in aulam aſſumſit, iterum & priorum honorum ſtatibus reſtituit, tandem quoque & adauxit, Augienſi cœnobio tradito. Aiunt autem hominem fortunatum tandem duodecim Abbatias rexiſſe. Sic quoque ipſe & Hatto ille Mogunt. ſibi ſemper amiciſſimus, quem COR-REGIS nominabant, poſt regem imperium tenuerunt, cum & ipſe, vt aiunt, XII. Abbatiis præfuerit. Erat autem ſodalitatis illorum, quoniam ambo acutiſſimi erant, ius mirabile. Nam vterque illorum, in quo alterum in verbis & in rebus per aſtutiam decipere poſſet, agere ſolebat.* Centonem hunc e verbis Eccard. Iun. *de Caſ. S. Gall.* conſarcinauimus, qui porro refert, Hattonem, cum Italiam obiturus *pretioſam ſuam ſupellectilem omnem* apud Conſtantienſem *depoſuiſſet, cantharum aureum diſtinctum gemmis Salomoni ſuffuratum* eſſe & ſic abiiſſe: cuius fraudis vlciſcendæ gratia Conſtantienſis per ex Italia redeuntes mercatores, Hattonem in itinere periiſſe, vulgari curaſſet, arreptaque fama, Hattonis bona pauperibus diuiſiſſet, iuſtasque defuncto celebraſſet exſequias: qua re Hatto redux ita motus ſit, vt ne prolixa quidem humanitate Salomonis, Curiam vsque obuiam procedentis, conciliari atque in ſocietatem iocorum & conſuetudinis familiaritatem redire ſuſtinuerit: quæ ad vltimum tamen denuo coaluit, interpoſita ſtipulatione, *vt vltra neuter alterum nec ſerio deciperet, nec ioco.* Comitum Sueuiæ inimicitiam & diuturna vincula variiq; generis vexationes *irriſionibus* in ſe prouocauerat: quale eſt, quod *per duos gregum magiſtros vrſum & ceruum eis dono adferri iuſſit, qui fingebantur vicini eſſe & liberi: quibus talibus aſpectis aſſurgunt germani* (fratres, Sueuiæ Comites) *pileis detractis, regratiantur venatores, reuerenter inclinati.* Id. Eccard. c. 1. Gloriatus enim ante erat, ſe ſeruos habere tanta grauitate oris atque vultus, tamque venerabiles, vt ipſi Comites ad conſpectum eorum reuerentiæ

ſigni-

hilominus tamen & ciuilis doctrinæ vitæque hominem, amicum regis indagauimus Ewaltgerum, quem nepotem vocat, magnæ virum auctoritatis (*n*).

§. VI.

Interea Conradus in se collati beneficii parum memor, tanquam solus ignoraret, quantopere diuersa esset a Carolidarum obitu prouinciarum conditio, auaras & instabiles manus ad ea, quæ Ducum sunt, porrigit veteremque imperandi rationem, inconsulta cupiditate raptus, adfectat incrustatque. Anno enim statim primo, cum sub ipsa regni auspicia Fuldensi collegio regiæ liberalitatis diploma consignasset (*o*) & Triburiense palatium vix

Carolorum more regnaturus an. 912.

significationes daturi sint, eiusque rei isto ludicro periculum fecit. Quod Sueuiæ Comites admodum male habuit. Nihilominus tamen, *Vir Dei, Esdras in suggestu, alter Petrus, tertius Cato, in Palatinis & Synodicis æque valens Conciliis*, passim laudatur. Quin mortuus *an. 921. in Diuos est relatus.* quod habetur in Chronologia Abbatum S. Galli, a Ioachimo Vadiano producta.

*n*) Prima mentio huius viri facta est in diplomate Eccles. Vltraiectinæ dato. Ita enim ibi rex: *Cuius* (Episcopi) *petitioni, quam per Vdonem consanguineum nostrum,* EWALTGERVMQVE *Comitem nobis obtulerat, libenter aurem accommodantes* &c. De *Vdone*, quem rex consanguineum vocat, nihil explorati adfero, præterquam quod duo prædia, in pago *Rhinicowe*, ad conuentum Laurishamensem data, sita dicuntur *in comitatu Vtonis.* Chron. Laurish. Evvaltgeri autem præcipua & illustris memoria in Annalibus Belgicis est. Ita enim Anonymi Chron. Belg. in Scriptoribus Franc. Svvertii p. 353. IO CCCC XIV. WALGERVS *Comes, nepos Imperatoris, his diebus magnus habebatur.* Sic in grati animi memoriam nomen, quod nostris compilatoribus ignotum est, conseruauerunt Belgæ.

*o*) Seriem rerum gestarum ac vitæ eius, e subscriptionibus diplomatum credo tutissime deduci atque ordinari. Auspicia regni

Lotharingiam ingreditur:

vix attigiſſet (*p*): in Lotharingos mouet, Aquas grani, procul dubio, Francorũ regum præcipuam ſedem, * *vbi publicus thronus regalis ab antiquis regibus & a Carolo præcipue locato totius regni archiſolium habetur*, petiturus, veterum inſtituto ibi coronandus atq; inungendus (*q*). A Giſelberto autem Ragineri filio, ** *quem plurimi Lotharienſes Principem, relicto Carolo rege delegerant, &* *** *ad cuius poteſtatem locus iſte pertinuit*, reiectus, monaſterium S. Galli, feria S. Stephani, intrat

regni incidunt, quod vidimus, in annum 912. menſ. Febr. diploma enim Fuldenſe *datum* eſt *VIII. id. Aprilis, anno incarnationis Dominicæ* DCCCCXII. *indict. XV. regnante glorioſiſſimo rege Cunrado, anno I. regni eius. Actum Fuldæ, curia regia, in Chriſti nomine feliciter. AMEN. Walafridus Notarius ad vicem Piligrini* (Colon. Archiep. in margine) *Archicapellani recognouit.* Chriſt. Brow. *Ant. Fuld. p.* 282.

*p*) Chronicon breue S. Galli apud du Chene Tom. III. *An.* 912. *Conradus Francos, qui dicuntur Lotharingi, hoſtiliter inuaſit.*

* Sunt verba Wipponis in vita Conradi Salici. ** Sunt verba e Chronico Frodoard. *ad an.* 912. *** Sunt verba Wittichind. *annal.* 2. de coronat. Ottonis.

*q*) *At nullus potentior æmulus*, ait Schatenus, *Carolo, Gallorum rege, a quo ſtatim poſt mortem Ludouici regis, Lotharingiæ regnum occupatum abſtractumque Germaniæ regno; eo arma, quæ in Vngros & barbaros vertenda erant, inteſtinum malum interuertit:* cui adſtipulatur Boeclerus in Sæc. X. & Schurtzfleiſchius in de regno Auſtraſiæ. Sed cum nihil de inuaſione regis Galliæ legatur, etſi ſtatim a Carolidarum obitu in Germania Lotharii regno imminuerit; ſed *adverſos ipſos Lotharingos*, vt verba habent, *profectus ſit* Conradus: ſubeſt nimirum altius malum, quod mihi demum, poſtquam omnia totius hiſtoriæ momenta expendiſſem atque ponderaſſem, viſum eſt in eo conſiſtere, quod *Carolorum more coronari videlicet ac inungi voluit Conradus.* Noui quidem

trat (r): hactenus quidem ab inteſtino malo & domeſticorum vi ſecurus; intempeſtiua autem Hattonis Moguntini



quidem & legi Wittichindum, qui *vnctum eum in regem;* legi Herman. Contractum, qui *electum & vnctum;* legi Bodonem, qui *coronatum diademate* aſſeuerant. Noui etiam recentiores quosdam, qui electionem *Wormatiæ*, coronationem *Aquisgrani* factam *a Moguntino* ſuſpicantur. Ego vero hæc incerta eſſe omnia, coronationisq; & vnctionis mentionem e conſuetudine ſermonis latini iniectam per tropum intelligendam eſſe putauerim. Idem ſane de Henrico I. dicunt, quod *inunctus* ſit videlicet quem tamen conſtat non abhorruiſſe ſolum a regiis ſollemnibus; ſed eadem ad vitæ finem conſtanter repudiaſſe. Priuatim enim a ſuo quisque populo domi dux legi potuit, ut ipſe Otto lectus eſt. At cum præficiendus omni Germaniæ rex eſſet; Aquasgrani defluxit omnis Germania: eo deductum regem et iam ante electum *vniuerſi* eligunt, coronant & inungunt. *cap. IV. lit. r.* Aquisgranenſem regiam ante occuparat indulgentia patris Zwentepoldus, rex Lotharingiæ. Illi deiecto & occiſo Giſelbertus ſucceſſerat, aduerſus quem profectus eſt Conradus ſtatim ab electione ſua & rurſus anno inſequente. Et cur profectus eſt aduerſus eum? Quia ibi Carolorum more voluit coronari & inungi. Nullam enim cauſſam belli video, nec in Giſelberto dolum. Et peruiciſſet, niſi Ducum conſilia ipſum retraxiſſent in patriam, qui putabant, ſibi nihil opus eſſe rege, qui barbaris tergum verteret ſuæque ambitioni velificaturus ſubiectos impune deprædandos relinqueret. Inde ſe ad ſua defendenda quisque contulerunt.

r) Chron. S. Galli *an. 912. Cunradus rex, antequam in Lotharingos proficiſceretur* (anno ſc. inſequente) *monaſterium S. Galli adiit & illic regaliter ſuſceptus eſt.* Concinit Hepidanus: *An. 912. Chuonradus rex in feſtiuitate S. Stephani ad veſperum venit ad monaſterium S. Galli.*

s) *Poſt-*

tini & Ottonis Saxonici morte ab ingenti ſpe tranquillitateque deiiciendus. (s)

§. VII.

inde an. 913 reiectus Sueuiæ Comites, qui Hunnos interea fugauerant, perſequitur,

Rex nihilominus propoſitum acrius ac pertinacius vrget. Anno enim regni *altero* ineunte, Lotharingiam denuo ingreſſurus (*ſ*), Corbeiæ prius ad Viſurgim Bouoni antiqua regum priuilegia corroborat (*t*): nec ita multo poſt Caſellis monaſterio Virginum Meſchedenſi, quod Rhinhildis Franciæ regina condidiſſe dicitur, idem beneficium tribuit (*u*). Ingruunt interea Vngri totamq. propemodum Germaniam pertentant (*w*). Hic Ducibus primum data eſt occaſio, renatis iuribus vtendi oſtendendiq;, quam parum ſibi opus ſit rege, qui patriæ ſalutem poſt-

*s*) *Poſthæc Ottone ſecund. Calend. Decemb. carnis vniuerſæ viam intrante* &c. Ditmar. *lib. 7.* ſine anno. Supplem. Regin. *an. 912.* deſignat; & recte quidem: Henricus enim anno mox ſequenti turbis implicatus eſt. Confirmant Schaffnab. & Contractus. Idem Reg. *an. 912. Hatto Moguntinus obiit, cui Heriger ſucceſſit.* Fruſtra ergo eſt Sigeb. Gemblac. & Sigfr. Presb. quorum ille *ad an. 918.* hic autem *ad 923.* obitum Hattonis memorauit. Comitiis enim publicis *an. 916.* interfuit Herigerus.

*ſ*) Chron. S. Galli *an. 913. idem Cunradus cum exercitu regnum Lotharingorum ingreſſus eſt.*

*t*) Diploma Schatenus exhibet in Annal. Paderb. *Chuonradus diuina largiente clementia rex. - Datæ III. Non Febr. Ꝺ cccc xiii. regni autem Domni Chuonradi ſerenisſimi regis anno II. Actum in ipſo monaſterio Corbeiæ in Dei nomine feliciter. AMEN.*

*u*) Stangefol. in Weſtphal. p. 172. *Chuonradus rex. Salomon Cancellarius ad vicem Piligrimi Archicapellani recognoui. Data XII.* (ita ſcriptum eſt) *id. Mart. an. incarnat. Dom. Ꝺ cccc xiii. indict. I. Anno vero regni domni Chuonradi II. Actum Chaſſella feliciter in Dei nomine.*

*w*) Annal. Hepid. *an. 913. Agareni* (Vngri) *Alemanniam intrarunt.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [32] - 26
PUBLIC DOMAIN

poſtponeret honori ſuo. Illo enim circa Rhenum & Lotharingiæ fines hærente, eorum quisque ad ſe ſuaque tutanda dilapſi (*x*) efficacisſime docuerunt, deſertum eſſe iam imperii vinculum, in ſeque ipſis vnicuique ſtatuendum eſſe maius præſidium. Non tulit Conradus diſſentientium faſtum excidioque primum Sueuiæ Comites, Epiſcoporum carcinomata vomicasque, deſtinat, Erchangerum & Bertholdum, quod tamen interuertunt nuptiæ cum ſorore Cunigunda pactæ (*y*), Ducumque reliquorum interceſſus, qui, cum regem in ſua viſcera ſæuire animaduerterent, quem tamen Vngri, ſi vellet, acuere poſſent, ne malum latius ſerperet, cauendum ſtatuerunt. Hinc vno conſilio palam refragantur omnes & inconſiderato mentis adfectu efferentem ſe, quibus poſſunt, modis permulcent, laterum ſuorum robur cauſſæque merita opponentes (*z*). Quorum cum neque

eoque omnium Ducum in ſe odium prouocat:



*x*) *Erchanger & Berthold frater eius & Vodalrichus Comes, auxiliante illis nepote eorum Arnulpho, optimo duce* (quod notes velim aduerſus eos, qui Malum appellarunt) *Boioariorum, totum exercitum eorum iuxta Ine fluuium penitus occiderunt.* Hepid. Revera bonus dux, qui patriam ciuesque ſuos aduerſus vim externam egregie defendit, præmium, non reprehenſionem regis, multo minus exilium promeritus.

*y*) Chronicon S. Galli. *An. 913. diſcordia cœpta eſt inter regem & Erchangerum. Ipſo anno Erchanger cum rege pacificatus eſt, cuius ſororem Luitpoldi relictam rex, quaſi pacis obſidem, in matrimonium accepit.*

*z*) Pleni ſunt omnes libri, quibus motibus concuſſa fuerit Germania hoc anno & quam acriter rex impetitus ſit ab omnibus, quod *rbellionem* ſcriptores appellarunt. Henricum certe ipſe rex lacesſiuerat. Teſtem cito gentilicium ſcriptorem Wittich. *rex autem Cunradus cum ſæpe expertus eſſet virtutem, noui Ducis*

qui an. 914. regi conciliati sunt, præter

par armis neque argumentis esset, anno *subsequente* omnibus placatur & conciliatur, multasque præsenti rerum conditioni magis intenti & mutationem agnoscentis animi dat significationes. Hinc Duces se regi denuo adiungunt (*aa*), denuo in veterem ciuitatem, licet suarum singuli prouinciarum domini coeunt, præter Arnulphum Boioariæ moderatorem, qui indignum ratus alteri parere ad Vngros secesit ante obitum Conradi regis nullo modo rediturus: hinc in Erchangerum Comitem

Boium, qui ad barbaros secesit.

*cis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris.* quod est nouum specimen adfectatæ rationis imperandi Carolingicæ. Res ad Eresburgum hoc anno gestas idem describit.

*aa)* Neque enim hoc est infitiandum, quod obscurari per consensum tot scriptorum nequit. Regin. Contin. *an. 919. Multis laboribus est a Bauaris, Alemannis & Saxonibus sibi rebellantibus fatigatus, quos ante obitum suum, deo propitio, superauit.* Liuthpr. *2,7. Sub quo potentissimi principes Arnoldus in Boioaria, Burcardus in Sueuia, Eurardus Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia erant. Secundo itaque regni huius susceptionis anno memorati Principes huic, præsertim Henricus, rebelles exstiterant, quos Conradus rex tam sapientiæ vigore, quam fortitudinis robore superauit suamque ad fidelitatem perduxit.* Sigeb. Gemblac. *an. 914. Contra Conradum regem potentiores regni Principes rebellionem meditati - tam sapientia quam fortitudine regis ad gratiam eius reducuntur: solus Arnoldus ad Vngaros cum vxore & filiis fugiens vsque ad mortem regis ibi mansit.* Eadem fere habet Ægid. de Roya in Chron. Belg. *ad an. 914.* Gobel. Persona. *Cunradus tamen resistebat eis* (tumultuantibus Principibus). *Vnde ducem Bauariæ expulit. Sic & ceteros superauit, præter Henricum Ducem Saxoniæ.* Sed hunc quoque rediisse cum rege in gratiam, ex eo partim liquet, quod Conradi auxilium aduersus Halberstad. Episcopum in caussa tori implorauit, Ditm. l. 1. &, quod primum detrectauerat, Saxoniæ Antistites ad Concilii Altheimensis extrema tempora ablegauit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [34] - 28
PUBLIC DOMAIN

mitem, cuius immitisſimi hominis auſteritatem ducta vetula ſorore nequicquam delinire cogitauerat, nihil grauius conſultum, quam vt alio, aliquandiu exulatum, abiret (*bb*). Rex interea Wilinaburgi degens Eccleſiæ Vltraiectinæ confirmat priuilegia (*cc*) natalemque Dei agit Conſtantiæ, (*dd*).

§. VIII.

Anno regni *quarto* ad exſtinguendas omnes ſimultatum ſcintillulas tranquillitatemque patriæ conſeruandam promulgatur lex de pace publica, pœna capitis ſancita, & per omnem proditur Germaniam (*ee*). Sed cum

Sancitur deinc an. 15. lex de pace publica,



*bb*) Chron. S. Gall. *An. 914. In Alamanniam venit & Erchangerum cepit, qui hoſtili manu ſuper Epiſcopum Salomonem venit. Ipſo anno apud caſtellum Oufridinga a rege comprehenſus & in exilium miſſus eſt.*

*cc*) Pulcherrimum monumentum Ioan. a Leidis Chron. Belgico *lib. 7. c. 10.* inſertum, dignum eſt, quod totum exſcribatur. Sed iam apices pro more noſtro ſolum dabimus: *Conrardus diuina auxiliante clementia rex. Signum Domini Conrardi, Sereniſſimi Regis. Salomon Cancellarius ad vicem Peregrini Archicapellani recognoui. Data ſeptimo idus Julii, anno incarnat. domin. nongenteſimo decimo quarto, Indict. II. Anno vero regni Conrardi, glorioſiſſimi regis, tertio. Actum apud Wilmaburch in Dei nomine feliciter AMEN.*

*dd*) *An. 914. natalem Chriſti celebrauit Conradus in oppido Conſtantia apud Epiſcopum Salomonem. Deinde ad S. Gallum ejusdem Abbatiam profectus, ibi diem Innocentium egit atque in fraternitatem monachorum receptus eſt.* Eccard. & Stumpf. in Chron. Helu. *l. 4. c. 34.*

*ee*) Exſtat ea in Goldaſti Conſtitutionum Imp. Tom. III. Quæ, vtut admodum breuia, Halcyonia Conradi cauſſam non meliorem reddunt, ſed deteriorem. Quem enim ante ſtrepitus armorum & inteſtina mala impediuerant, excuſare poteramus, cur

cuius violatores Sueui

cum ne sic quidem satis consultum rebus suis iudicaret rex, propterea quod vnus alterue non vereretur conuenta violare, in quibus Sueui denuo taxandi sunt (*ff*): nouam medicinam inueterato malo adhibiturus anno *quinto* Concilium sollemne conuocat (*gg*), cui adhibiti sunt totius Germaniæ Episcopi, quoue inter alia sacris interdictum est Boio & sueui fratres perduelles ex decreto capite plexi sunt (*hh*). In quorum locum, quod con-

an. 916. ex Concilii Altheimensis decreto perimuntur.

cur quæ regis sunt, sibi non in singulis prouinciis arrogauerit. Jam vero, omni tumultu composito, curis solutus & intra fraterculorum vmbracula in iocum & facetias effusus sponte transegisse cum Principibus & ius, quod nullum vmquam habuit, dimittere, quam se ludibrio vexationibusque perpetuis obiicere maluisse censendus est. Adeo nihil explorati de coronationis vnctionisque sollemnibus, quibus hic accommodatissimus annus fuit, quæq; post partam tranquillitatem capessere omnino potuisset, inuenimus. Adeo numus nullus, nulla effigies vllibi exstat, suppar ætate & coronata: quæ potestatis suæ monimenta anteriores tamen Carolingici per manus posterorum tradita nobis reliquerunt.

*ff*) *Erchanger de exilio reuersus cum Burcardo & Berchtoldo, cum ceteris patriotis suis pugnauit & eos apud Walauuis vicit. an. 915.* Chron. S. Galli.

*gg*) Decreta hujus conuentus apud Althemium, Rhætiæ pagum, itidem exstant apud Goldast. quibus Saxoniæ Episcopi, quod præsto esse recusassent, sacris abstinere iussi. Exscriberem ea, ni vererer, ut genuina sint omnia ac non potius in otiosi monachi ieiuno cerebro nata. Vltimi saltem canonis verba, ex Iul. Cæsaris de bell. Gall. *lib. 6. c. 13.* desumta, auctorem subleste fidei p odunt.

*hh*) Chron. S. Gall. *an. 916. Erchanger, Berthold & Luitfrid* (soror, is filius) *occiduntur* dolose: quo verbo indignationem suam testari

conſeruanda priſtina Germaniæ facies & ceteris prouinciis æquiparanda Sueuia eſſet, ſufficitur Burcardus, quem populus poſcit, nouus regis aduerſarius (*ii*), quem mœrorem amiſſa penitus Lotharingia adgrauat (*kk*). Ipſe interim rex Herolfeldæ commoratus (*ll*) S. Matthiæ & Valerio ædem ſacram dedicat Hartesburgi (*mm*). Porro cum exercitu ingreſſus eſt Boioariam, deſertam ab Arnulpho duce, quem Concilium damnauerat; vacuæ prouinciæ fratrem Eberhardum præfecturus (*nn*), ad quam recuperandam ille anno *ſubſequente* magna barbaro-

Rex ædem Hartesburgenſem fundat, Boioariamq; ingreſſus

ſtari voluit auctor, ad Burcardi ſocii perfidiam reſpectans, *qui aliquot eos dies in cuſtodia tenuit. Rex autem crebro ab eo fatigatus tandem eos iugulari præcepit.* Eccard.

*ii*) Id. Chron. *Bona occiſorum, excepta dote Berthæ, quæ vxor Erchangeri fuit* (& Epiſcopo Salomoni in vinculis fomenta adhibuerat) *beneficii nomine tradita ſunt Burcardo: cui & Sueuiæ ducatus ceſſit.* Hunc Burcardum *an. 916.* ſtatim *rebellaſſe* idem Chron. refert.

*kk*) *Anno ɔɔ cccc xvi. Carolus rex Francorum Brabantiam & Lotharingiam, amoto Gisberto, recepit VII. annis. Gisbertus Luxemborg obtinuit.* Ægid. de Roya in Annal. Belg. Exteros enim in domeſticis non negligendos duxi, e conſilio Excell. Dom. Præſidis, quum illi prodant ſæpius, quod hi diſſimulare aut præterire pro temporum ratione coguntur. Hinc manifeſta ratio patet, quare Gallus diplomatibus *an. 917.* ſubſcripſerit: LARGIORE *autem hereditate indepta II.*

*ll*) Lamb. Schaff. *an. 916. 917. 918. Cunradus rex fuit in Herolfelde*, vbi *Ludouicus Pius erat mortuus.* Chron. Hildeſ. *an. 840.*

*mm*) Copioſe de hoc monimento regii nominis egregio diſſerit Reu. Antiquit. Goslar. Auctor *lib. 1. p. 4.*

*nn*) *Vrſpergenſis, Auentinus & ex Auentino Schatenus in Annal. Paderborn. rem prolixe narrat.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [37] - 31
PUBLIC DOMAIN

barorum multitudine ſtipatus aduolat ſtrenueque rem gerit. Abeſt interea Henricus Saxo in Galliisque verſatus comitia Lotharingica adit, quibus aduerſus regem perpetuas cum Giſelberto inimicitias, interpoſitis ſororis Gerbergæ nuptiis, paciſcitur (*oo*). Conradus autem, cum Arnulphum fruſtra oppugnaſſet (*pp*), anno regni ſeptimo exacto in magnam ægritudinem coniectus eſt, morboque periit (*qq*), cum lectulo adfixus per Eberhardum fratrem Henrico Saxonico ſummam rerum commendaſſet. Cadauer illatum eſt Fuldenſi monimento, quod viuus ſibi haud paullo ante (*rr*) deſtinauerat.

an. 917. reiicitur moriturque an. 918. regni anno 7 exacto.

## CAPVT III.
# DE PROVINCIIS GERMANIÆ SIGILLATIM.

§. I.

*oo*) Schaten. ex Conrado Abbate in ſcriptoribus Pithœanis.

*pp*) Cunradum *vulneratum reuertiſſe* in patriam ſuam, ait *Wittich. I.*

*qq*) Cum eodem anno in Herolfeldenſi *monaſterio natiuitatem S. Ioannis celebraſſet*. Regin. Hoc anno obitum regis deſignandum eſſe ſatis liquet, cum omnes ſcriptores plenum ſeptennium ipſi tribuerunt. Jam ſi initia ducantur *ab an. 912.* relinquetur, ut exacto *anno 918.* ſeptennii ſpatium expletum ſit. Accurate rem definiunt Annales Hepidani: *Anno 918. Chuonradus rex obiit ante natale Domini.* Succinit Marianus Scotus, quando *anno 19 cccc xviii. X. Cal. Januar. deceſsiſſe regem* ait.

*rr*) Anno ſcilicet inſequente 919. cum ante Wilinaburgi depoſitum fuiſſet. Regin. *Ipſe vero hac vita decedens in Fulda monaſterio honorificata ſepultura tumulatus eſt*; addit Marian. Scotus: *iuxta altare ſanctæ Crucis*. De quo loco vid. Antiq. Fuldenſ. *p. 128.*

*a*) *Tota*

§. I.

PRæmissa sectione, cum seriem rerum in Germania septennii spatio gestarum deduceremus, omnium prouinciarum, licet confusa & perfunctoria, iniicienda mentio fuit. Iam singularum conditionem propius intueri iuuat. Franciam igitur Orientalem (*a*), vt hinc potissimum exordiar, ad istud temporis Conradus ipse rexerat, quem fortissimum Francorum Ducem annales vbique concelebrant (*b*), in subsidium adsumto

Status Franciæ orientalis,

E

*a*) *Tota Gallia* inquit *Eginhard. in Vita Carl. omnisque Germania vna Francia fuit: postea vero, regno inter filios filiorum diuiso, aliud Orientale, aliud occidentale regnum Franciæ dicebatur.* Godefr. Viterb. *part. 17. Orientale regnum vocatum est etiam Francia orientalis, Antiqua Francia, Francia Teutonica;* & complexa fuit Boioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam: veterum testimonio.

Hoc loco autem nobis de parte regni cognomine sermo est, quam vulgo Franconiam vocant, *quæ*, definiente eodem Eginhardo, *intra Saxoniam & Danubium Rhenumque ac Salam fluuium, qui Thuringos & Sorabos diuidit, posita, ac a Francis, qui orientales dicuntur, incolitur, quaue*, Ioachimo Vadiano de monast. Germ. teste, *tractum etiam Heluetiæ & Rhætiæ primo totum illa ætas, & ipsum Franciæ nomine, complectebatur cuius partem Rheno imminentem Austrasiam vocarunt.* Ex qua interpretatione intelligimus, quomodo *ad Alpes* protensa fuerit Franciæ Comitum procuratio, & vt Conradus Constantiam subinde & in S. Galli monasterium diuerterit; nec non, quare Schatenus *Altbemium*, pagum Rhætiæ prisco iure Franciæ accensam contendat.

*b*) Viuente adhuc Ludouico rege Conradus inde a parentis obitu *Comes Franciæ* appellatur, quod diploma Hattonis an. 910. datum *c. 1. lit. bb.* probat. Ex eo autem tempore, quo quisque ducum

sumto fratre, Eberhardo, qui Comes primum potentissimus (c), mox Franciæ Dux (d) & orientalis Marchio audit (e).

§. II.

Sueuiæ, Sueuiæ Bertholdus Erchangerque fratres præsunt, qui suæ procurationis detrimenta aduersus Constantiensem Episcopum vlturi extremo supplicio adficiuntur (f). Nouus

ducum suam sibi prouinciam vindicauerat, Conrado quoque, licet de facto nihil constet explorati, appellationem *Ducis* tamen tribui constanter obseruamus. e. g. Statim *an. 912.* Annal. Hildes. Leibnit. *Lodouicus rex obiit, cui Chuonradus* Dux Francorum *successit.* Wittich. *Cunradus quondam* Dux Francorum *vngitur in regem.* Ditmar. lib. 1. *egregius* Dux. Bodon. Synt. Gandesh. Dux Franciæ *Conradus.* Sic Mutius, sic Gobelinus, aliique. De re autem ipsa ratiocinatur Frisingensis Lib. 1. c. 8. de gestis Friderici I. in hunc modum: *Francis* ante Henrici I. tempora *vel circa dignitas ducalis denuo collata videtur.* Succenturiatur Leh. in Chron. Spir. lib. 2. c. 16. Nec ferit ita statuentes Eccardi narratio. Quum enim *Nondum adhuc*, inquit, *illo tempore Sueuia in Ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia*: de suis, quibus ipse vixerat, temporibus loquitur, Henrico IV. imperante, qui omnino per Comites hanc prouinciam administrauerat.

c) Apud. Liutpr. 2, 7.

d) Auctor vitæ Ioan. Abbatis Gorziensis apud Mabillonium *Eberhardum* ait *Ducatum Franciæ, Austrasiæ & quorundam trans Rhenum tenuisse locorum.*
Quin noui quoque Comites in locum successerant circa hoc tempus. Vid. *cap. 2. lit. n. & aa.* vbi mentio fit cujusdam *Vtonis* seu *Ottonis* & *Ewaltgeri.*

e) Chron. Laurish. *Cunradus vero, frater* Eberhardi, Marchionis orientalis *regni partem circa Rhenum tenuit.*

f) Atrocissimas contentiones & quotidianas prope digladiationes, quibus

Nouus Dux Burcardus (*g*) Germanici regni culmen itidem irreuerenter habet terrasque suas aduersus vim interiorem æque ac externam strenue tutatur (*h*).



quibus invicem iactati sunt Comites & Episcopi, propterea, *quod vtrorumque ditioni multa subtracta sunt per munificentias regias in vtrosque Episcopos*, fuse narrat Eccard. in Cas. S. Galli. Lex quidem Alemannica habet: *Si quis res suas ad Ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere, non dux, non Comes, non vlla persona.* Sed *agros tamen fiscales aut prædia, quæ censum principi solucrent, non licebat ad vllam Ecclesiam*, ex sententia Joach. Vadiani *lib. 2.* de monast. Germ. *contradere; sed Comitis consensus requirebatur, cuius erat donationem rescindere, quæ principalium redituum detrimento esset facta. Vnde videmus*, ait, *in chartis donationum, Comitis nomen imo fere loco semper adscriptum. Præcipua enim hac in re Comitum auctoritas erat.*

*g*) *Sueuiæ principum assensu statuitur Alemannis Dux primus Burcardus, gentis illius nobilissimus & virtutum dote probatissimus.* Eccard. Ducatus quidem Sueuiæ perantiquus est & prout ex actis Francorum liquet, eo tempore constitutus, quum a rege Ludouico deuicti Alemanni & regno Franciæ adiecti velut in prouinciam redacti sunt, quod accidit circa annum 500. Carolus deinde Magnus, ducum potentiam & fortunam subueritus, Comitibus regundas distribuit prouincias, qui in Erchangero per Sueuiam desierunt, cum prosapia Carolina desiisset. Hinc noua rebus facie obducta, caput denuo extulit Sueuia, ad exemplum reliquarum regionum in Ducatus formam reducta. Qui factum sit, vt in Burcardum istum, scelerum atque consiliorum Erchangeri socium, sueuiæ ordines & rex Conradus tanto studio propenderint, mirari multos intelligo. Ciuibus nimirum gratus ob virtutem magnitudinemque animi fuit, quod haud obscure indigitat Eccardus. Voluntas populi, suprema haud dubie lex, regi necessariam electionem fecit.

*h*) Vt regi detrectauerit obsequium, supra innui; iam spreta superio-

§. III.

Boioariæ, Arnulphus, famosissimus Dux, Liutpoldi filius, Boioariam suprema potestate possidere regioque iure insolenter vti cœperat (*i*). Hinc barbaris æque ac regi Germaniæ; & sacerdotibus ferream vtrimque frontem opposuit (*k*), perpetuus sceptri æmulus: nec ante quieuit, quam Henrico potestatem circa sacra quoque, Germaniæ capiti adhuc sartam tectam, in terris suis vsurpandam extorsisset (*l*).

§. IV.

perioris auctoritate, summa quæque sibi vindicat. Anno enim *919. Burcardus Dux Alemanniæ Rudolphum regem Burgundiæ apud Winterturum pugna vicit.* Herm. Contract.

*i*) instinctus forte a maiorum consuetudine, qua Boioaria peculiare regnum, Franciæ seorsim spectatæ haud impar, constituit. Ab Auentino disertis verbis *Rex* appellatur: etiam in Chron. Cosmæ Prag. *anno 937. obiit Arnulphus* Rex *Bauariæ.* Liuthprand. lib. 2. c. 7. *Arnoldus cum vxore & liberis rediens honorifice a Boioariis atque ab orientalibus Francis suscipitur: neque enim solum suscipitur: sed vt* rex *fiat ab eis vehementer exposcitur. Cupierat sane & ipse* rex *fieri,* credo, in ditione sua.

*k*) Multa supersunt in veterum libris Boioaricæ fortitudinis monimenta. *An. 907.* pater Leopoldus occubuit in prælio cum Vngris commisso, cuius necis indignitatem vltus est filius *an. 913.* clerum acriter castigauit & intra artissimos cancellos redegit. Chron. Bau. Ratisp. Rex *fieri frustra cupiens inuasor* regni *exstitit & pro huius acquisitione Ecclesias monasteriaque destruens, res earum distribuit in beneficia laicorum.* Hinc mali cognomen & tot circa turpissimum ex hac vita exitum proiectique in Schirensem lacum a diabolo cadaueris lepida sacrificulorum commenta.

*l*) Henrici declaratio ad Boium *in* Avent. *lib. IV. p. 292.* habet inter alia hæc: *Non solum Boioariæ regnum locupletissimum, Nariscos, Alemannos, Chambos, Boëthos, Sudinos, Ilissos, Marcomannos, Quados,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [42] - 36
PUBLIC DOMAIN

## §. IV.

Saxoniæ ampliſſimas poſſeſſiones a maioribus relictas & ab Imperatorum munificentia amplificatas vniuerſumque Ducatum Otto Dux ad filium generoſiſſimum Henricum transmiſit, aduerſus vim apertam & occultas machinationes, vt viro dignum, defendendas (*m*). Nec ipſe latum vnguem ceſſit. Quin animi ma- Saxoniæ,



*dos, Vindelicos, Noricos, Auſtriacos, Tyrollios, Atheſinos, Venonas, Stirios, Charinos, Venedos, Carnos, Pannonias tibi*, ſicuti poſſides, *permitto; verum ſacrarum ædium quoque, opum eccleſiaſticarum, Epiſcoporum, ſacerdotum, myſtarum, monachorum, antiſtitum omnium curatorem te eſſe iubeo & patronum: illos tibi in clientulos dico, modo nomen regis inutile abdicato: cuncta alia tibi habeto. Quid nunc aliud tibi vis? quid ultra deſideras? quæ concupiſcis? quæ poſtulas?* Stabant enim vtrimque ante prima ſigna ſui quisque exercitus. Liuthpr. *l. 2. c. 8.* Huius exercitium deſcribit Ditmar. *p. 330.* in Leibnit. Script. Otto Friſing. *lib. 6. c. 18.* Auentinus *lib. IV. p. 293.* vbi habetur de Concilio Dingelfingæ coacto, cui *ipſe præfuerit, clerumque rurſum intra metas diſciplinæ retraxerit, quia nimis populariter*, vt loqui amat, *rerum omnium turbationibus viuere didicerant.*

*m*) Progenitorem Ludolphum non fuiſſe Wittekindeum directa ſtirpe vel illud ſatis indicium eſt, quod Wittichindus, annalium auctor, maternum genus illuc tantum referat, non prætermiſſurus paternum, ſi a Magno Wittekindo deducere licuiſſet. Weſtphaliæ & Angariæ magnam partem ducis titulo complexus largiſſima donatione ex hereditate ſua ad Gandeshemenſe cœnobium perfunctus eſt. Diploma exhibet Meibom. filiamque Luitgardin Ludouico II. German. regi in matrimonium dedit. De Ottone filio hæc habet Wittichind. *Apud Ottonem tamen* (licet ſe ſubdiderit Conrado, Ditmar.) *ſummum ſemper & vbique vigebat imperium.* De Henrico nepote iſthæc: *Primus libera poteſtate regnauit in Saxonia*, qui *teſtamento legitime facto*

gnitudine rebusque domi & militiæ præclare gestis tantum sibi existimationis collegit, vt Conradus eum, virtutis etiam in hoste mirator, regio fastigio dignissimum iudicaret (*n*).

§. V.

Thuringiæ, Thuringiæ Ducatus variis breui temporis spatio motibus dominisque agitatus pariter in Saxonicæ mansuetudinis tutela, paullo ante, quam ad rerum summam Conradum excitassent, demum adquieuit (*o*).

§. VI.

*defunctus est, relinquens sibi ipsi, maiori filioque magnum latumque imperium, non a parentibus sibi relictum, sed* per semetipsum acquisitum *& a solo Deo concessum.*
*Rex autem Conradus veritus est ei tradere omnem potestatem patris. Saxones vero suadebant Duci suo, vt si honore paterno eum nollet sponte honorare, rege inuito, quæ vellet, obtinere posset.* Wittich. *annal. 1.* Henricus *in vacuum succedens, hereditatem iure & maximam beneficii partem gratuito regis suscepit ex munere.* Ditmar. lib. I. ducatus scilicet honorem, quem, vt audiuimus, inuito rege, obtinere posset.

*n*) Regin. *Cum obitus sui diem imminere sentiret, vocatis ad se fratribus & cognatis suis, maioribus scilicet Francorum, mortem sibi imminere dixit & ne in eligendo post se regem dissidium regni fieret, paterna eos voce præmonuit.* Oratio exstat apud Wittich. *annal. 1.*

*o*) Thuringiæ fata ex annalibus ista sunt. *An. 883. Thuringi, quos Poppo & Egino Comites concitauerant, Thuringiæ præfecti, a Saxonibus magna clade protriti sunt.* Schaten. ex annal. Franc. & Regin. *An. 892. Poppo dux Thuringorum dignitatibus exspoliatur. Ducatus, quem tenuerat, Cunrado commendatur, quem pauco tempore tenuit & sua sponte eum reddidit. Deinde Burchardo committitur, qui eum hactenus strenue gubernat.* Regin. Hic *Burchardus an. 909. ab Vngris cæsus est.* Lamb. Schaffnab. *Vngari* enim *Alemanniam intrarunt an. 908. deuastantes eam. Quibus occurrunt Duces Bauariæ, Saxo-*

## §. VI.

Lotharingi miris modis conturbantur, laceran- Lotharingia,
tur. Qui ſumma iis & regia auctoritate ex inſtituto parentis Arnulphi præerat, Zwentipoldum Ludouici Pueri tutores ſuperatum acie oppreſſerunt. Cui ſuffectus Giſelbertus (*p*) Dux clientelam Conradi regis aſpernatus diu fluctuauit, donec Gallo anſam præberet occupandi prouinciam (*q*), cuius poſſeſſionem rex Henricus demum Germaniæ recuperauit æternum firmam atque propriam, vtpote Germanorum viribus partam (*r*).

§. VII.

---

*Saxoniæ, Sueuiæ & Dux Thuringiæ: & commiſſum eſt bellum & multa millia Vngarorum occiſa ſunt: & Dux Thuringorum tertius percuſſus interiit ſine heredibus, & ducatus deuolutus eſt ad Henricum Ducem Saxoniæ eius conſobrinum.* Hiſtoria de Landgrau. Thuring. & Regin. *ad an. 908.* Idcirco Henricus *Dux de Saxonia & Thuringia* ſubinde audit.

*p*) Annal. Metenſ. *ad an. 898. Zuentiboldh Reginarium Ducem ſibi fidiſſimum & vnicum conſiliarium neſcio cuius inſtinctu a ſe repulit & honoribus hereditatibusque, quas in ſuo regno habebat, interdictis, eum extra regnum intra 13. dies ſecedere iubet.* Huius Raginerii filius, deiecto propter tyrannidem rege, *Giſelbertus, nobili genere & familia antiqua natus,* Wittich. annal. 1. Dux ſufficitur.

*q*) Quod *anno 916.* demum factum eſt, Vid. *cap. II. lit. kk.* quamquam inde ab exſtinctis Carolingis in Germania hereditatem ampliorem & certæ ſaltem partis poſſeſſionem iactauit in diplomatis e. g. in charta Gorziana apud Chifflet. *Actum Virduno, in mallo publico, coram Ricoino Comite, anno ab inc. dom. DCCCXIV. anno III. regnante Karolo rege in regno Lotharii quondam regis feliciter.*

*r*) An. 923. *Henricus Imp. & Carolus rex Francorum apud Bonnam confœderantur, reddiditque Carolus Henrico Brabantiam & Lotharingiam, Epiſcopis & Comitibus vtrimque rem confirmantibus.* Ægid. de Roya

in

§. VII.

Vicinorum regnorum,

Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ Vngariæque regna, & si qua præter hæc in Carolorum ditione fuerint, tantum abeſt, vt clientelam coluerint, vt potius nihil intermiſerint eorum, quæ ad vexandam diſturbandamque Germaniam facere poſſent (*s*). Et Conradus quidem nullo iure ea, priſtinæ integritati reſtituta, ad officium reduxiſſet, cum Carolidarum clientes, exſtincta victrice familia, ſui iuris facti ſint (*t*).

§. VIII.

eandemque Italiæ.

Idem de Italia totoque Romanorum Imperio cenſendum eſt. Carolouingis enim eius opes antea accreuerant, quæ ad Germanos poſtea parum attinebant (*u*). Hinc

in Chron. Belg. quod confirmat Ioan. a Leidis Chr. Belg. *lib. 6. c. 11. Hic rex* (Carolus ſimplex) *dedit Henrico, regi Germaniæ, regnum Lotharingiæ, Epiſcopis & Comitibus rem confirmantibus:* & Regin. Contin.

*s*) Albert. Stadenſ. *913. In diebus illis immaniſſima perſecutio Saxoniam oppreſſit, cum hinc Dani & Sclaui; inde Boëmi & Vngri laniarent Eccleſias.*

*t*) Nihilominus Germaniæ poſtliminio maximam partem reſtituta ſunt, virtute Henrici I. Auctor vitæ Meinwerci in Leibnit. *p. 195. Quum autem mirum in modum proficeret princeps laudabilis, Chriſtus illi plus auxit honorem dignitatis, perplurimas nationes ſuo ſubiugans dominatui, Danos, Sclauos, Boiemanos, Boiowarios, ceteraque quam plurima regna, quæ ſuis anteceſſoribus non fuerant ſubdita.* Et Ditmarus *lib. 1. Has regiones ſibi fecit tributarias: Boiemiam, Deleminciam, Obetritos, Wilci, Heuellos & Redarios.*

*u*) Non dimiſſam fuiſſe Italiam inde colligunt, quod Hattonem obiiſſe *Italiam exacturum ius regium* legunt. Sed inſtituit forte Moguntinus explorare hominum Italorum animos &, quod ſcriptum non eſt, infecta re nulloque grauis ære domum ipſi dextra

Hinc ea se suis regibus permisit. Berengario autem II. ob perfidiam capto, regnum sibi apertum Otto perpetuo iure Germaniæ asseruit, quia viribus Germanorum asseruit (*w*).

# CAPVT IV.
# DE IVRE SVPERIORITATIS IN GERMANIÆ PROVINCIIS RENATO.

## §. I.

CÆmenti loco nobis sunt hactenus allata ad exstruendum id, quod meditamur, ædificium. Quod vt rite peragatur, paullo operosius inquirendum est, vtrum in Germania circa hoc, quod iam emensi sumus, interuallum, res innouatæ sint, nec ne? quo exacte temporis articulo? qua occasione? quoue iure innouatæ sint (*a*)? Transitio.



dextra rediit. Non enim adeo perfrictæ frontis fuit Conradus, vt cuiusquam rei extra Germaniam positæ curam ad se pertinere arbitraretur, qui ne Imperii quidem Romani phaleratis titulis luxuriandum sibi iudicauit. Semel omnino peregrinam appellationem in charta Broweriana adiectam vidimus Conrado, in hunc modum: Conradus ROMANORVM FRANCORVM REX; Imperatoris numquam vidimus.

*w*) Quod præter ceteros egregie, vt omnia, demonstrat non sine pia veneratione nominandus Krebsius in Tractatu de insigni Discess. in Eccl. *Dissert. 1. §. 14. seqq.*

*a*) *Est sane*, inquit Vlric. Obrechtus in Prodromo rerum Alsat. p. 107. *totus ille rerum transitus, quo exstincta stirpe Carolina in Germania, imperium ad alios rectores meauit, multis densisque tenebris obsitus, & sollennis veluti scopulus, in quem recentiores fœdis sæpe erroribus impingunt.*

§. II.

mutatio gliscebat

Qui igitur filum historiarum inde ab antiquo Carolorum ævo sequuntur, simulatque in venis Caroli Crassi Carolini sanguinis vigor elanguit, elanguisse nervum imperii vinculumque, quo vastissima tot regnorum & prouinciarum moles constringebatur, fefelliſſe comperiunt (*b*), idque non in Gallia solum aut in Italia; sed

*b*) Quid Crasso contigerit, quamobrem Germaniæ Proceres ab ipso defecerint & cur, quoue modo elegerint Carolomanni fratris nothum filium Arnulphum, dicendi locus hic non est. Quanta autem hinc rerum consecuta sit mutatio, historicorum concentus doceat. Regin. *ad an. 889. Post eius mortem, regna, quæ eius ditioni paruerant, veluti legitimo destituta herede, in partes a sua compage resoluuntur & iam non naturalem dominum præstolantur; sed vnumquodque de suis visceribus regem sibi creari disponit. Quæ caussa magnos bellorum motus excitauit, non quia principes Francorum deessent, qui nobilitate, fortitudine & sapientia regnis imperare possent; sed quia inter ipsos æqualitas generositatis, dignitatis ac potentiæ discordiam augebat, nemine tantum ceteros præcellente, vt eius dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.* Magnum Chron. Belg. *p. 70. Carolo mortuo, imperium multis modis scinditur, singulis* prouinciis *singulos* reges *creare cupientibus. Arnulpho* tamen pars maxima *cessit. Post hunc ditionis eius regna soluuntur a sua compage, dum quisque de suis nititur regem creare. Quod quodam præsagio videtur accidisse. Nam regum genealogiæ cœlitus prouisa secundis exuberat successibus, donec in Carolo M. non solum regnum Francorum; sed & Imperii Romani summum obtineret fastigium. Post cuius discessum eodem, quo accesserat, modo, cœpit fortuna diffluere, donec ex defectu* regiæ stirpis *solus hic inueniretur regno Francorum gubernando idoneus, & regalis prosapia*

ſed in ipſis quoque regni patrii viſceribus, vbi Ducum diu ante inaudita nomina (*c*), & cum nominibus potentia inualuit. Eos enim, qui Arnulphum & poſt Ludouicum elegerunt, propiore iam occaſui Carolidarum genere, lacertos mouiſſe & mox orituræ præluſiſſe libertati iam a Crasſi obitu,

F 2

*ſapia a beato Arnolfo duce & Epiſcopo* (Metenſi) *prodiens in hoc Arnolfo duce & imperatore quaſi progreſſus ſui* penultimum limitem *acciperet.* Chron. Laurish. & Annal. Franc. Fuld. *ad an. 883.* Plenius Metenſes *ad an. 880.*

*c*) Germaniæ prouinciarum, quæ ante Carolum Magnum; quæ poſt eumdem facies fuerit, *Lehmannus in Chr. Spir.* aliique copioſe docent multisque veterum teſtimoniis vtuntur. Illud iam memoriam ſubire ne pigeat, Carolum Magnum, vt Francorum ſollertiam in multis rebus expedivit, nouam plane regundorum populorum rationem excoluiſſe, vt Ducum potentiam veritus, ambitioſum nomen cum re ſupprimeret, prouinciasque Comitibus adminiſtrandas daret. De Boioaria res manifeſta eſt. Cum enim Thaſilo, ſemel impetrata, defectionis venia, iterum inſurrexiſſet, veniam impetrare non potuit, *neque prouincia*, inquit Eginhardus *in Vita, quam tenebat, vlterius Duci, ſed Comitibus ad regendum commiſſa eſt.* Nec de Sueuia incertos eſſe ſinit Eccard. Iun. *Nondum adhuc illo* (de Arnulpho dixerat) *tempore Sueuia in Ducatum erat redacta*, ex quo ſcilicet Alaricus famoſo ad Tolbiacum prælio occubuit; *ſed fiſco regio peculiariter parebat*, cetera. Saxones ſuis moribus relicti ſunt. In Francia erant Bambergenſium & Vederouienſium Comitum claræ familiæ. Popponem atque Eginonem, Thuringiæ Comites Annal. Franc. & Regino commemorant. Apud Slauos vnos hæc ceſſauit procuratio, qui ſemper Duces habuerunt, a rege Germaniæ caſtigandos, ſicubi deflecterent ab officio. Annal. Franc. *823.* & *870.* Lotharingis Gerhardus & Matfridus Comites præerant, Zwentipoldo remoto.

ad Tolbiacum non fuit Alaricus, Gothus

*d*) At

tati credimus, quia legimus (*d*); quamquam res nouare & fidem deserere tum quidem neque vellent nec vllo iuris titulo possent.

§. III.

aucta sub Arnulpho, Arnulphus, quod Primoribus regni honorem suum deberet (*e*), multa indulsit; aliqua nouauit (*f*): perpetuis

*d*) At circa Crasi tempora in plerisque Germaniæ partibus quædam quasi fermentatio insolitos Ducum titulos protrusit. Ludolphus in Saxonia; Liutpoldus in Boioaria in hanc ætatem incidunt, qui velut e machina derepente exstiterunt, nec eorum maiores, quanta maxima industria adhibita, indagari a quoquam potuerunt; licet ii, qui ignorationis suæ confessionem in quibusdam rebus turpem ducunt, illius quidem origines ad Wittekindum M; huius ad nescio quem in Italia excœcatum Bernardum referant. Nec Poppo est prætereundus, qui, post mortem forte collegæ Eginonis, vbique Thuringorum Dux concelebratur. Et ipsi scriptores innuere videntur, se agnouisse rei nouitatem, qui multa sollertia Ducum veluti numerum inierunt, & quotus quisque in prouincia Dux fuerit, subindicarunt, quod facere non potuissent, si Duces semper magistratum bellicum, pro temporum necessitate constitutum & delectum, significassent. Numerauit autem Historia de Landgrau. Thuring. in Script. Leibnit. Thuringiæ Duces, quando *Burcardum Ducem* TERTIVM *prælio cecidisse* tradit. Primus enim Poppo, vt diximus; alter Conradus fuerat. Sic *Burcardus Sueuiæ Dux* PRIMVS *est constitutus*, teste Eccardo. Sic *Henricus* PRIMVS *libera potestate regnauit in Saxonia.*

*e*) *Arnulpho tamen*, inquiunt Scriptores, *pars maxima cessit*, in dispersione prouinciarum Caroli Crasi obitum consecuta. Et Annal. Fuldens. *cum multos regulos in Europa & in regno Caroli extreuisse* questi essent, ad vltimum dicunt: *Deinceps Arnulphus se regem haberi statuit.* Regino indicat, quo modo istud factum sit.

sit. *Optimates*, inquit, *Arnulfum, filium Carolomanni*, VLTRO IN REGNVM ATTRAHVNT: nec non Gobelin. Person. Cosmodr. ætat. VI. cap. 43. 44. *Optimates regni Arnulphum, filium Carolomanni, huius Caroli nepotem, elegerunt in regem. Postquam Arnulphus electus erat in regem, Bernhardus filius Caroli Grossi fugit in Italiam ad Guidonem, cui pars Italiæ commissa fuerat.* Commodum hic Gobelinus sobolis Caroli Crassi mentionem iniicit, Bernardi, quem Regino quoque & Annal. Metens. *ad an. 887.* commemorant. Cum enim Bernardus eodem tempore regis filius, vtut spurius, vixerit; non video, cur eius conditio deterior; aut Arnulphi itidem ex Carentina femina nefastis nuptiis procreati, potior visa sit; nisi Germaniæ proceribus optionem datam velis dicere, vtrum vtri præferre mallent.

*f)* Huius igitur beneficii, quo Crassi filio, nihil tale promeritus, vno potius gradu a regali solio, quam ille, remotior, prælatus fuit, memoriam conseruaturus ad multa conniuendum esse duxit, subiectosque sponte, laxius regendos. Hinc Ducum non titulis modo applausit, queis forte Comites militiæ suprema munia curantes in patriæ limitibus defendendis vti potuissent, saluo iure Cæsaris; sed & in partem & veluti societatem regni eos passus est venire. Atq; vt ne dicis gratia hoc nominis gessisse Duces præcipiti anticipatione contendas, adscribam, quæ fide dignissimus Regino *ad an. 889.* animaduertit. *His diebus*, inquit, *Luitpertus Magontiæ vrbis præsul e rebus humanis sublatus, in cuius loco subrogatus est Sunto, Poppone Thuringorum Duce & Arnolpho rege annuente.* Si res ciuilis acta esset & quis Ducum in negotii societatem adscitus foret; aliquid effigii aut coloris, cur ita factum sit, excogitari posset. At cum Poppo, inaugurando Episcopo, quod genus hominum eo tempore vni regi subiectum fuit, adhibitus sit, elabi non possumus, quin regem pedetentim sua iura communicasse cum principibus fateamur. Habuit hæc procul dubio in oculis Mutius, qui lib. XII. de Arnulphi temporibus, *qui neque opibus neque facultatibus satis valebat*, ista habet: *Erat is imperii status, vt nisi aliæ essent facultates, imperium non sufficeret ad tuendam dignitatem Imperatoris & hostibus*

petuis comitiis deliberationibusque distentus (*g*). Successor filius (*h*) tantum abest, ut quidquam magnæ rei
& Ludouico; domi militiæque gesserit (*i*), vt vniuersum corpus labasceret, Ducesque, ni præda hostibus esse vellent, vbi visum est, congrederentur discederentue ab armis, pacis & belli propemodum arbitria agentes (*k*). Sartum tamen

*hostibus resistendum. Omnino*, pergit, *nomen imperii magis erat gloriæ, quam rei.* Hic iam non insolens est amplius legere, Comites iniquo animo tulisse, si a paterna alienarum opum administratione arcerentur, quod *filii Wilhelmi & Engilschalci Comitum, qui terminum Boioariæ aduersus Morauonos tenuerant*, fecisse legimus Annal. Fuld. *an. 894.* Et en! aliam rem nouam! Aquisgranum, vetus regia & Carolorum cimelium, iam non erat amplius in potestate Cæsaris, insessum quippe a Zwentipoldo tyranno, cuius animus tam monstrosus, quam ipsum nomen fuit.

*g*) Annal. Franc. *an. 889. Primores Francorum adegit, vt iuramento confirmarent, ne se detraherent a principatu & dominatu filiorum eius, Zwenteboldi & Ratbodi; quod quidam renuerunt* (quos dicis caussa comitiis interfuisse ne dixeris); *tandem regiæ voluntati satisfecere*, cetera.

*h*) Regin. *ad an. 900. Proceres & Optimates ad Forachem in vnum congregati Ludouicum filium, quem ex legitimo matrimonio susceperat, regem super se creant & coronatum regiisque ornamentis indutum in fastigio regni sublimant.*

*i*) Zwentipoldum per Matfridum & Gerhardum Comites debellarunt tutores Pueri, cui suffectus est Giselbertus Ragineri filius, simillimi ingenii princeps.

*k*) Sic *an. 907. Bauari cum Vngaris congressi multa cæde prostrati sunt: in qua congressione Luitpoldus Dux occisus est, cui filius suus Arnulphus in Ducatu successit.* Regin. *Anno insequenti denuo Germaniam intrarunt, deuastantes eam: quibus occurrerunt Duces Bauariæ, Saxoniæ, Sueuiæ & Dux Thuringiæ; & commissum est bellum*, cetera. Bre-

tamen tectumque manſit ſubinde ius ſupremum Cæſari. Præmaturo autem obitu rebus humanis abreptus, votis & ambitioni Ducum, vndiquaque ſe auitæ libertatis ſtudio efferentium, laxos terminos pangit.

§. IV.

Aſt quæ tempeſtatis vis, iam Arnulpho imperante, in venis ac viſceribus Germaniæ concepta & concluſa latuerat; ſub Ludouico autem Puero cœperat ſe commouere & eminus inhorreſcere: ea ad extremum ſe, exſtincta & ſublata Carolingica proſapia, velut aggere rupto infudit; cum Duces ex adminiſtratione bellica & prouinciali ad ſupremã poteſtatem emergerent (*l*), reſtitutis

ſub Conrado effuſa eſt,

Breuibus rem omnem complexus eſt Schaten. in Annal. Paderb. *ad an. 901. Ludouici moderatione penes tutores relicta, multa ſimul mala incurrere in Imperium. Nam & Duces inſoleſcere & pro temporaneis regum miniſtris hereditarios ſenſim ſe ferre: Comites aſſurgere ſupra ſortem muneris: ceteri procerum cum his affligere Epiſcopos: omnes ſpolia & prædas ſibi indulgere & ſenſim firmare hereditarias poſſeſſiones, quod nec in tutoribus auctoritas eſſet refrenandi, nec in rege maturitas puniendi.*

*l*) Quomodo & per quos ex inſtituto Caroli M. nationes gubernatæ fuerint, paullo ante dictum eſt. Non enim longe ab auorum conſuetudine diſceſſum; cum magiſtratibus hinc inde per prouincias conſtitutis armorum ſimul cura, ſi res ita ferret aut hoſtis amouendus eſſet, commiſſa ſit quocumque titulo. Aſt nunc cum aliæ prouinciæ ſuos ſibi peculiares rectores legerent; aliæ a Comitibus vi cogerentur ad Ducatus ſibi expediendos: Ducum dignitas maioris procul dubio momenti fuit. Quæ enim eſſet ratio, quamobrem e. g. Erchangerus, Sueuiæ Comes, qui iam *an. 908.* in bello adverſus Vngros ſuſcepto *Sueuiæ dux* appellatur, tanto niſu in id incubuerit, vt gentis ſuæ dux efficeretur, &, licet a ciuibus ſuis repudiatus

tutis omnibus in integrum prouinciis (*m*), ſuasque res ſibi

diatus eſſet, eorum voluntatem armis expugnare moliretur? En! diſerta Chron. S. Gall. verba: *An. 915. Erchanger de exilio reuerſus cum Burcardo & Berchtholdo, cum ceteris patriotis ſuis pugnauit & eos apud Walauuis vicit &* DVX EORVM EFFECTVS EST. Protractus dehinc ad comitia capitis ſupplicium ſuſtinuit. Sed cum omnino, ad exemplum ceterarum nationum in Germania, Dux conſtituendus eſſet, non qui ſe populo obtruderet aut a ſuperiore quodam præficeretur; ſed quem ipſi Sueui vellent: Burcardus, venia delicti impetrata, ſtatutus Alemannis Dux primus eſt; qui cum ſciret, cui acceptam ferret dignitatem ſuam; non auctoritatem regis, ſed prouinciæ ſalutem ceterorumque ducum exempla ſecutus eſt. *cap. 3. lit. h.* In Boioaria quoque inſignis præter ceteras eminuit mutatio. Audiamus *Auent. lib. 4. p. 290. In eo* (Ludouico) *familia regia in Germania & Boioaria defecit -- Boiorum Proceres atque Pontifices inferias regi reddunt: ex veteri inſtituto, quo ipſis ex ſe & Nariſcis principem, vbi defeciſſet principalis proſapia, inſtaurare licebat, Arnulphum regem Boiorum ſalutant.* Qua poteſtate vſus fuerit in ſacris & ciuilibus, quos præfectos limitibus vsquequaque dederit, *lege ibid. p. 291.*

*m*) Hic nimirum eſt decretorius ille temporis articulus, in quem de communi doctorum ſententia ſimul incidunt mutatæ reipublicæ momenta vniuerſa. Audiamus primum Illuſtr. Cocceium, qui *cap. 15. §. 43. ſuæ Iuris Publ. Prud.* in hunc modum diſſerit: *Sub Carolingis Procerum poteſtas fuit mere adminiſtratoria, quæ ad id faſtigii, in quo nunc eſt, his gradibus peruenit. Exſtinctis Carolingis, cum videretur* REDDITA POTESTAS *quam ſinguli populi & prouinciæ ante Francorum victorias* REGIAM *habuerant: placuit,* VT SINGVLI POPVLI AC PROVINCIÆ *ſub ducibus ſuis, ſalua maieſtate regis & regni,* HABERENT PROPRIAM POTESTATEM & IVRA REGALIA. Idem *in addit. ad I. P. Prud. §. 5. Cum olim Germaniæ populi ſui plenarie iuris fuerint,*

sibi habere ac tueri singuli conarentur (*n*). Si rex vrgeret electionem sui; si fidem eorum, si constantiam de- dum principes tergiuersarentur,

 side

*rint, armis Francorum in vnam ciuitatem coacti; deinde horum regibus exstinctis, cum res ad pristinam libertatem rediisset, libera voluntate caput commune ac regem imperio legere.* Lehm. *Chr. Spir. l. 2. c. 47.* Die Hertzogen haben sich mit dem Schwerdt ihre Hertzogthume nicht allein erb- und eigenthümlich für sich und ihre Erben zuerstreiten; sondern ein jeder gleich als ein König im Königreich in seinem Land zu regieren fürgenommen. Schaten. *annal. Paderb. an. 913. Hactenus*, ait, *duces omnes atque comites temporaneo Cæsarum ac regum beneficio imperitabant. Postquam vero cum Ludouico rege exstincta Caroli M. stirps: singuli prope Duces eas, quas tenebant, prouincias sibi hereditarias suprema principum potestate vindicare cœperunt; tamquam Germaniæ regnum in spolium venisset: haud secus quam Alexandro M. exstincto, duces militiæ regna inter se partiti sunt. Eo & Conradus rex tanta ceterorum ducum æmulatione petitus.* Conring. *in dissert. de Ducibus & Com. Germ. §. 19. Vltimis Carolingorum temporibus ducum potentia tandem eæ fuit, vt de prouinciis sibi proprio iure attribuendis cogitarint, libere regum instar regnaturi.* lege & *§. 20. 21. 22. ibid.* Clar. Struuius *in quadam commentatiuncula de diuersis Iuris Publici periodis. Alii*, inquit, *initium iuris publici faciunt a Conrado I. eo quod Germani liberam eligendi sibi facultatem sumserint & dignitates ducales Germaniæ factæ fuerint hereditariæ, terræ ex administratoriis propriæ, ideo in eodem fere statum redactæ, qui nunc est. Facile illud concedendum, si de regno Germaniæ saltem nobis sermo esset.* cetera. Qui omne mutationis momentum in Henrici I. tempora conferunt, semetipsos coarguunt. Fatentur enim, Henrici potestatem cœpisse sub Conrado: fatentur etiam Burcardum Sueuis; Boiis Arnulphum eadem, qua Henricus Saxonibus, potestate præfuisse per ipsum hoc septennium. Qui igitur sub Henrico demum ortos esse omnes duces & restitutas prouincias contendunt, quæ sub eo demum rursus coierunt?

*n)* Vid. *c. 2. lit. z. aa.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [55] - 49
PUBLIC DOMAIN

sideraret; si incusaret perfidiam: in promtu erat, quod oggererent: irrita nimirum esse & non satis iusta, quæ interea acta essent: Germanos prius eligi non posse, quam Carolorum in Francia occidentali, vtut tenues, exstinctæ essent reliquiæ. Quocirca si parendum vni esset, Carolum, cui Simplicis nomen ignauia adfricuit, e Galliis euocandum esse (o) caussabantur: huic summam rerum competere: huic sua se permissuros esse omnia. Quam fallacissimarum ratiocinationum telam (p) cum Conradus gladio rumpere non posset, vtut efflictim cuperet:

Franco-Gallis potius obtemperaturi;

o) Auent. *lib. 4. p. 291. Ideo* (quod *Moguntinus & Otto Sax. rebus Germaniæ & orientali Franciæ Conradum Hassum, nullo gradu contingentem regum Cæsarumque domum imposuissent*) *Arnulphus rex noster, Gisalbertus dux Lotharingiorum, Erenger, Berchtoldus fratres & Burckhardus Sueui, Conradum recipere recusarunt, Carolum posthumum iustum heredem ex Galliis & occid. Francia accersendum censebant: & a Lotharingiis Carolus acceptus est.*

p) Exteri fere omnes & Galli maxime eam animis imbibere sententiam, cuius interpres *Aubertus Miræus Carolo Simplici*, ait, *licuisse non Lotharingiam modo; sed & Germaniam repetere:* adstipulatur *Iac. Sirmondus* aliique, quibus respondet *Schurzfleischius in de diuis. Carol. p. 903. seqq.* Et quis eruditorum nescit pactorum Virodunensium tenorem, quibus *an. 843.* interposita mutui iurisiurandi religione, sancitum est, vt Gallia Germaniaque æternum seiuncta manerent. Tum ipsi Franco-Galli paullo ante in eligendo Odone & non ita multo post in Hugone Capeto, Carolinum sanguinem ex inuidia posthabuerunt, excluso scilicet Carolo, Lotharingiæ Duce. Denique ipsius Caroli Simplicis dubii natales erant, cum multi parentem eius dicant non ex satis iusta causa vxorem suam repudiasse atque Adelheidem, ex qua Simplex conceptus est, duxisse, ab obitu mariti demum parituram. *Leg. Vlric. Obrecht. Prodrom. rer. Alsat. p. 102. seq.*

peret: ſuæ prouinciæ relinquitur (*q*). Quamquam eius conditionem hac in re deprehendam meliorem: Henrici I. deteriorem. Hunc enim antequam diſſentientes Duces omnes ditioni ſuæ ſubieciſſet, quod reuera fuit, ſæpisſime appellatum Saxonicum regem, ſeu regem Saxonum lego, per contemtum (*r*). At Conradus ſi Francorum



*q*) Iis, quæ ſupra allata ſunt, addamus, quæ habet *Chron. Laurisham. In horum Carolorum deceſſu in vtriusque regni faſtigio Carolorum illa celſa progenies facta eſt de medio, quæ a primo anno Pipini regis Francorum vsque ad obitum iſtorum in regia dignitate claruit annis 173. Cunradus vero, frater Eberhardi, Marchionis orientalis, REGNI PARTEM circa Rhenum tenuit.* At de Ludouico Germanico, itidem Germanorum rege, Annal. Metenſ. *ad an. 843. Vltra Rhenum*, aiunt, *omnia habuit.* Et Henricus tantumdem habuit. Ait enim Wittich. *An. 1. ex. Defunctus eſt relinquens latum imperium; non a patribus ſibi relictum; ſed per ſemetipſum acquiſitum & a ſolo deo conceſſum.* Quid Arnulfus Boioariæ dux poſſederit, lege *cap. 3. lit. l.*

*r*) Iuuat audire Eccard. *de Caſ. Henricus Saxonum & Francorum conſenſu eleuatur & vngitur in regem. -- Sed poſtea Lotharingorum Kiſilbertus Eberhardum caſtigatum, cur honorem ſuum alieno dediſſet, REGI SAXONICO rebellare ſecumque ſentire perſuaſit. Idem l. 5. Engilbertus S. Galli Abbas a Burcardo vtique, quod cum REGE SAXONICO ſentiret, inſimulatus eſt.* Ergo nec Conradus, nec Zwentipoldus, nec Arnulphus Boius Monarcha fuit. Otto demum vere rex creatus eſt, quia electioni priuatæ, qua Conradus; qua ceteri; qua ipſe Otto prius ſublatus eſt, publica & ſollemnior accesſit, coronationis vnctionisque ritu confirmata. *Henricus enim infirmitate correptus, conuocato omni populo, deſignauit filium ſuum Ottonem regem* (eo modo, quo Franci Conradum, Conradus Henricum). *Defuncto itaque patre, omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim deſignatum regem a patre, filium eius Ottonem elegit ſibi in Principem. VNIVERSALIS QVE ELECTI-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [57] - 51
PUBLIC DOMAIN

corum rex vocatur, vt vocatur in annalibus, quo minus ignominioſe dictum putetur, eorum, qui per Francos orientales omnem Germaniam ſemper & vbique intelligendam eſſe ſtatuunt, præſtat liberalitas.

§. V.

Atque vt intelligatur clariſſime, quantam vicisſitudinem ſubierit res Germana in hoc temporis articulo; potiſſima mutationis momenta in conſpectu collocata legentibus expendenda commendamus. Sunt autem ea quærenda vel in ipſis Regibus Poſtcarolingicis, vel in prouinciarum Ducibus. Ducum ſortem inuicem æquiparantes, immane quantum diſtare deprehendimus: tantum videlicet, quantum inter rem & nomen intereſt: I. Quæ enim nationes & prouinciæ ante vni paruerunt, iam pluribus parent (s). II. Et qui iam prouinciarum adminiſtrationem ſuſcipiunt, non nomen & vmbram oſtentant; ſed poteſtatem regiæ proximam exercent: non alienæ rei fiduciarii procuratores; ſed ſuarum regionum domini (t), *ius belli & pacis* 1), *ius legum ferendarum & conſtituendi iudices aliosque magiſtratus* 2), *ius fœderum* 3) & co-

dum ſui iuris redderentur, in ſingulis prouinciis,

*ELECTIONIS notantes locum, iuſſerunt eſſe Aquisgrani palatii &c.* Wittich. *annal. 2. ineunte.*

s) Quod clarum eſt vel ex intuitu *cap. 3.*

t) Quod Conringii, quam meis verbis efferre malo. Ita autem ille *Diſſert. de Ducibus & Comit. Germ. §. 22. Ducum poteſtas omnino mutauit* (poſt Carolos) *ita vt prouinciis præſint iam Duces, non vt gubernatores; ſed pene vt reges: collatis in eos iuribus, quæ ſolius imperii erant atque imperatoris. Quo enim tempore Duces adminiſtratores & rectores tantum fuere prouinciarum, non competebat ipſis auctoritate propria ius vitæ & necis; non leges ferendi; non magiſtratus conſtituendi; non indicendi conuentus; non fœdera faendi*

& *comitiorum* 4) *immo & ſacrorum* 5) *exercentes.* III, Nec iam a regibus conſtituuntur, vt ante; ſed vel IV, naſcuntur in patriam hereditatem (*u*), vel V, popu-



*endi poteſtas: minora quoque, vt vocant, Regalia, ſub quibus viæ publicæ, flumina nauigabilia & vectigalia comprehenduntur; immo omnis generis reditus prouinciarum non ad rectores illos prouinciarum, ſed ad fiſcum regium pertinebant. Iſthæc omnia præfectis illis* αὐτοκρατορίας *iure in prouinciis conceſſa ſunt, ſalua tamen ſemper Imperatoris ſuperioritate* (plane vt Ill. Coccei l. c.). *Vnde cum non omnino abſolutam poteſtatem habeant, nec maieſtatem proprie eos habere dici poteſt. Vocari vero ſolet eorum poteſtas Ius ſuperioritatis,* Landes-Fürſtliche Obrigkeit/Landes Hoheit und Herrlichkeit. 1) Quamvis autem mihi non contigerit, vt omnium *regalium* maximorum, minimorum exercitium inuenerim; quod in iſta monimentorum penuria & ſcribentium paucitate vix requiri a quoquam ſaluo pudore poteſt: a maiori tamen facile ad minus argumentamur. E maioribus autem inuenimus duces his vſos fuiſſe potisſimum, e quibus cetera derivari queunt. Adornarunt enim exercitus, quos inſalutato rege eduxerunt in aciem quod Sueui Boiique fecerunt *an. 913.* vid. *cap. 2. lit. x. & iterum an. 919. vid. c. 3. lit. h.* 2) Arnulphus Boioariæ *limites firmiſſimis munit præſidiis, fratrem ſuum Berchtholdum Venonas & Atheſinos adminiſtrare iubet. Auſtriæ Rogerium præficit. Charinis rectorem dat Ratholdum.* Auent. *lib. 4. p. 291.* 3) fœderati erant Sueui & Boii an. 913. & qui ipſe ſe tueri armis poteſt, idem etiam poteſt auxiliis fœderatorum. 4) Eccard. *de Caſ. S. Gall. c. 10. Colloquium publicum poſtea pro his & pro aliis regiminis cauſſis Walewis villa edixit,* (Burcardi Sueui vidua) *illuc quoque Epiſcopum* (S. Galli) *& Abbatem* (*Augienſem*) *venire iuſſerat.* &c. 5) Vid. *cap. 5. lit. c.*

*u) In qua congreſſione Luitpoldus dux occiſus eſt, cui filius ſuus Arnulphus IN DVCATV SVCCESSIT.* Regin. *an. 907.* Vid. *lit. l. exeunt.* De Henrico *c. 3. lit. m.* quod etiam inſecutorum temporum decurſus comprobat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [59] - 53
PUBLIC DOMAIN

li principumque liberrimis suffragiis eliguntur (*w*). Reges autem, quibus olim proxima ad imperandum commendatio natales erant, iam VI, e Ducum electione pendent; (*x*) & qui ante omnibus omnia imperarunt, quorum nullis limitibus circumscripta potestas erat, iam VII, Ducum assensu omnia decernunt peraguntque (*y*).

§. VI.

optimo iuris titulo;

Cum facti quæstionem probauerimus, iuris iam suscipienda disceptatio est. Sane, rationi non repugnat, quod Duces, iura patriæ haud ignorantes, fecerunt; & iure gentium æquum est, vt exstincta victrice familia bello acqui-

*w*) Frodoard. Chron. *Fauente nec non Giselberto, quem plurimi Lotharienses Principem delegerant.* Eccard. Iun. *Sueuiæ principum assensu statuitur Alemannis dux primus, Burcardus.*

*x*) Inde ab Arnulpho Imp. electio non dicis caussa in Germania obtinuit. vid. *lit. g. & h.*

*y*) Amplus nobis hic dicendi locus esset: iam breuitatis studiosis strictim quædam attingenda sunt. Conradus I. non potuit quidquam donare Episcopis suis, quin Sueuiæ Comites intercesserint. Henricus I. cum aduersus Auares proficisci vellet, *conuocauit populum: qui operam suam promittens regi contra gentem, pactum firmauit.* Wittich. *annal. 1.* Slauos autem aggredi, inuitis proceribus, non potuit. Sigfr. Presb. lib. 2. Otto I. priuilegio Magdeburgico apud Goldast. Tom. I. p. 216. ita subscribit: *Ad perpetuam igitur rei memoriam CVM ASSENSV sacri Romani PRINCIPVM Imperii, cumque voluntate terræ, iuxta illorum laudum, omnes gratiarum prærogatiuas - confirmauimus.* Frider. I. apud Radeuicum *lib. 1. c. 27.* in oratione ad Germanos, *Imperii*, inquit, *Romani, cuius apud nos ministerium; auctoritatem penes vos, qui optimates regni estis, recognoscimus.* De his omnibus vid. Excell. Præsidis *Germania Princeps* Eiusdemque Commentaria *in Aur. Bull. Tit. 2. §. 8.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [60] - 54
PUBLIC DOMAIN

acquisitæ prouinciæ suo iuri redditæ in pristinam libertatem postliminio asserantur (z).

§. VII.

Ex dictis patet, quid respondendum sit oggerentibus, deberi Gallis regnum Germaniæ, in quibus superfuerint aliquamdiu generis Carolini reliquiæne dicam, an quisquiliæ? Aeterno enim iure Gallia & Germania separata in diuisione Metensi & pactis Virodunensibus sunt, quæ neutrius domino etiam ex vltima posteritate, in alterum quidquam licuisse voluerunt (*aa*). Deinde quod ad ipsas attinet Germaniæ prouincias, peculiare regnum eæ omni tempore constituerunt, numquam Franciæ Cis-vel Trans-Rhenanæ ita penitus coniunctæ, vt in vnum veluti corpus coaluerint (*bb*).

cum Germania olim a Gallia fuerit separata,

nec prouinciæ vni primariæ insertæ vel vnitæ.

CAP.

z) Grot. de I. Bell. & Pacis *lib. II. c. 7. §. 14. Ea regna, quæ populi libero consensu facta sunt hereditaria, ex præsumta populi voluntate deferuntur. Hinc illud nascitur §. 15. vt successio stet intra eos, qui descendunt a primo rege: ea enim familia ob nobilitatem electa censetur, eaque finita regnum redire ad populum.* Vid. *ibid. c. 9. totum.*

*aa*) Vid. etiam lit. *p.*

*bb*) Videri quidem posset, insertas esse singulas prouincias Franciæ matrici, legentibus in Chron. Belg. *Ioan. a Leidis l. 4. c. 26. Pipino mortuo cum fratre suo Carolo, pater regna Caroli filii sui Imperio INCORPORAT cum tota Alemannia*: aut in Eginhardi vita Carol. M. *Bellum cum Saxonibus ita est finitum, vt Francis ADVNATI vnus cum iis populus efficerentur.* Verum enim vero quæ fuerit illa adunatio, Wittich: *annal. 1.* exprimit: *Ob id* (sacra christiana susceptа) *qui olim socii & amici erant Francorum, iam fratres & quasi VNA GENS ex christiana fide, veluti modo videmus, facta est.* Sacrorum igitur communio; non iurium morumque sancita est. Deinde quod non *incorporatæ* sint, quod Chronici vocabulum est, vel hoc sit satis testimonium, quod singulæ

Sed ita Hungri, Hispani, Graeci una gens

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [61] - 55
PUBLIC DOMAIN

# CAPVT V.
# DE IVRE SACRORVM IN GERMANIA.

§. I.

SEd & res ſacræ Germanorum huius ſeptennii, quamlibet ſtrictim modiceque, attingendæ ſunt: quarum deterrima conditio e vitis præſulum, in aula negotiisque regiis verſatorum, ſupra delibatis partim eluceſcit; clarius autem e dicendis.

§. II.

Sedem apoſtolicam tum occupauerat, turpi commendatione ex nequitiæ ſtabulo protractus, Joannes X, eodem, quo Conradus anno, ſupremus Romanorum Pontifex conſtitutus, quem & ipſi Romanenſes auerſantur. Et licet eius nullæ partes in Conrado & Henrico eligendis ceterisque regni negotiis interuenerint: concilio tamen Altheimenſi legatum ſuum cognominem, Ortonenſium Epiſcopum intereſſe voluit, tranquillitatem priſtinam laceris Germanorum rebus, quantum in ſe eſſet, redditurus *a*).

Pontifex legatum ad Concilium Altheimenſe mittit.

§. III.

---

gulæ vocatæ ſint ad Comitia in cauſſis quoque exterorum. Sic *an. 823. conuentus habitus eſt, in quo non vniuerſæ Franciæ primores, ſed de orientali Francia, Saxonia, Boioaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia & regionibus Rheno adiacentibus adeſſe iuſſi ſunt, in quo, præter legationes, duo fratres Wilſorum de regno controuerſiam habentes, venerunt.* An. Franc. & Bertin. Sic *an. 870. Slauorum Dux Ruſtiz in Ratiſp. Comitiis, Francorum & Boioariorum & Sclauorum iudicio luminibus oculorum priuatus eſt.* An. Franc.

*a*) Concilio Altheimenſi annum 916. totum tribuendum aſſeuerauerim, quandoquidem menſe Martio nonnulli; alii Septembri

## §. III.

Reliqui omnes, qua patet vastissima Germania, sacri ordinis homines adhuc *regi* paruerunt omnes, ad nutum monentis vocantisque intenti *b*): quin ab eo constituti & depulsi loco sunt *c*). Superiorum quidem temporum indulgentia aliqua Episcopis elargita est; at inse- Episcopi magistratibus suis, h. e. Regibus olim,

H quen-

bri coactum illud esse contendunt. Ineunte anno forte conuocatum, forte locis etiam diuersis continuatum est eo vsque, dum XII. Cal. Octobr. decreta conciperentur, quorum summam exhibet Auent. *p. 293.* & ex eo Goldastus & Centur. Magdeburg. Legatum Pontificis *Hortensium* imperitiores vocant; sed perperam. Orta enim est Etruriæ oppidum, ad quod Albericus Marchio ab Alberto Spoletano occisus est. Blondi *inclin. Romæ decad. 2. lib. 2. p. 180. 187.* Ceterum de iure pontificis nihil inuenimus, nisi quod Bremensium Episcopo pallium dedisse perhibetur apud Stadensem ad an. 915.

*b*) Eccard. de Cas. S. Gall. *Iubentur a rege tum quidem Arnulpho Episcopus*, (Constantiensis, Salomo,) *& ipsi* (Comites Sueui) *sub banno pacis ad aulam Magontiæ venire.* Ditmar. *lib. 1. Sigismundus, spiritualis pater & pastor orientalium, sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ præsul per legatum concite* ad ipsum ab rege Conrado *directum* monitus est, *vt vinctos* (Henricum & vxorem, consanguineos) *solueret & ad suimet præsentiam differret.*

*c*) Vt Conradus, reiecto *Leidrado, quem clerus populusque Bremensem elegerat episcopum, Vnni prætulerit, virgæ pastorali* ornatum, lege apud *Stadens. l. c.* & in Henr. Wolteri *Chronic. Bremens.* Eccard. *c. 5. Engilbertum electum Conrado directum ille omni honore dignatum S. Galli fecit esse vicarium.* Innumera sunt exempla, quibus electi Episcopi & Abbates ad reges ablegati demum vel repudiati sunt vel confirmati, quibus cumulandis chartam onerare nolumus. Hinc quoque ratio patet, qui Conradus in variis Germaniæ monasteriis delitescere potuerit inter Sueuos & Saxonicos Antistites, cum tamen in prouincias nihil sibi iuris vindicarit vmquam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [63] - 57
PUBLIC DOMAIN

iam ducibus parent: quentis æui curriculum *prouinciarum dominis* ſubiecit eos ſingulos *d*). §. IV.

*d*) Audiamus primo Ditmarum *in Script. Leibnit. p. 330.* ita diſſerentem: *Reges noſtri & Imperatores, ſummi rectoris in hac peregrinatione præpoſiti, hoc ſoli ordinant, meritoque præ ceteris paſtoribus ſuis poſſunt, quia incongruum nimis eſt, ut hi, quos Chriſtus ſui memores hujus terræ principes conſtituit, ſub aliquo ſint dominio, abſque eorum, qui exemplo domini benedictionis & coronæ gloria mortales cunctos præcellunt.* Audiui tamen nonnullos ſub Ducum &, quod plus doleo, ſub Comitum poteſtate, *magnam ſuſtinere calumniam, quibus nil licitum eſt, niſi quod ſe amatoribus ſuis prodeſt. Impia namque poteſtas, cum domino id conſentiente recte dominantes premit, dilatata crudelitate mox furit.* Verba ſubobſcura ſunt; quantum autem colligi poteſt, exſecrari videtur mutationem quamdam circa ſubiectionem Epiſcoporum, qui cum olim coronatis tantum & inunctis principibus paruerint, iam novis dominis addicti ſint, reſpiciens ad ea forte, quæ hic ſubjicio. Jam enim an. 889. *Poppone Thuringorum duce annuente Maguntiæ præſul* datus eſt *Sunto.* Regin. ad iſtum annum. Sic condemnati ſunt Saxonici Epiſcopi, quod *Synodo Altheimenſi intereſſe detrectaverint.* Teſtantur enim ætate ſuppares ſcriptores, quod diſſidium inter Regem Conradum & Henricum Saxoniæ Ducem valde anxios habuerit Epiſcopos, vtri ſe parti permitterent. Et ſunt, qui autument, Romani Pontificis juſſu ad pacandam Germaniam coiuiſſe ſacerdotes, non auctoritate regis adductos. Denique notiſſimum eſt, quid poteſtatis circa ſacra exercuerit Arnulphus in Boioaria, quod ipſe ille Ditmar. *eodem loco* deſcribit: *Eo tempore fuit in Bauaria quidam Dux Arnulphus nomine, præclarus in mente pariter & corpore, qui omnes epiſcopatus in his partibus conſtitutos ſua diſtribuere manu ſingularem habuit poteſtatem ſeq.* Burcardi Sueui vidua Conſtantienſium Augienſiumque Antiſtites vocat in Comitia. Ecc. c. 10. Ad ultimum id quoque tenendum eſt, defunctorum bona Epiſcoporum ad reges ſeu territo-

## §. IV.

Ceterum, qui fuit æui ſtupor, religionem & quæ Dei ſunt parum penſi habuiſſe deprehenduntur, cum munera licitantibus propoſita vel pretio emta *e*) vel adulatione artibusque variis emendicata *f*) viliſimis mandata ſint hominibus dicam, an abdominibus *g*)? quæ vaſtationem quidem & continuas clades a barbaris vtrimque ſa-

ſuoque munere non rite funguntur.



territorii dominos tranſiiſſe, quod innuere videtur Eccard. de Caſ. *c. 1. Scrinia* (Hattonis defuncti) *palatio addicta ſibi* (Salomoni) *non proderant.*

*e*) *Iſtis etiam temporibus viguit Simoniaca hæreſis in tantum, vt etiam publice venderentur Epiſcopatus & , qui plus dabat, Epiſcopatum accipiebat: nec erat aliquis Epiſcoporum aut virorum Eccleſiaſticorum, qui zelo iuſtitiæ ductus cum Imperatore aut rege ageret, vt hoc nefas prohiberet. Et quia nemo erat Chriſtianorum, per quem hoc malum corrigeretur, miſit Deus flagellum paganorum.* Gobel. Perſ. Coſmodr. *æt. VI. c. 44. Conſtantiæ diaconatus pretio emtus.* Eccard. *c. 5. Henricus iuxta urbem Mersburg congreſſus* (cum Vngris) *votum vouit pro victoria adipiſcenda, ſeſe hæreſin Simoniacam de regno ſuo exterminaturum.* Chron. Mindenſ. apud Leibnit. Plenius Centur. Magdeburg. *ex Liuthprando.*

*f*) *Vir domini* (de Epiſcopo Conſtantienſi, Salomone loquitur) *videns ſe ætate iam graveſcere, poſt paſcha, proximum adiit palatium & omnia loca, quæ Conſtantiam ſiue ad alia monaſteria ſtudio proprio vel regum conquiſiuit munificentia, chartis & ſigillis tum regis Conradi fecit roborari. Abbatiæ Fabarienſis*, quam miris artibus S. Gallo acquiſiuerat, *fere omnium locorum Chartæ in S. Galli adhuc hodie ſeruantur armario.* Eccard. de Caſ. *c. 5.*

*g*) Vt dubitem, transſcriptæ ad æternam dedecoris memoriam confeſsiones monachorum faciunt, qui fere ob nullam rem Cæſares extulerunt magis, quam quod fomenta corpori & ſaginam ventri eorum adhiberent, cuticulumque curarent & perungerent. *Præ omnibus*, inquit ſæpe commemoratus Eccard. *c. 1. Carolus rex* (Craſſus) *conuiuia nobis hilariter facere ſueuit, ipſe, qui S. Othmari hebdomada ipſe propoſitor & pincerna, per triduum de vico Steinheim ſeruiuit volatilia, nos edere fecit.* Sic, eodem narrante, *conuiuia fratribus duodecim*

cris ædibus illatas ad rauim usque deplorarent *b*); inculcu autem multitudinis inexsuperabilium superstitionum anfractibus impeditæ atque circumactæ ne hilum quidem mouerentur.

Conclusio amouet nouitatis suspicionem.

§. V. Et ista quidem sunt, quæ nobis super argumento sat ancipiti commentari in mentem venit & per doctrinæ ingeniique vires licuit. Quantula ea cumque videantur, delineant tamen aream, cui magna structura facile inædificari potest; quod ipsi facere poteramus, ni legentium meditationes pascere, quam onerare aures maluissemus. Nec nouitatis exprobrationem valde exhorrescimus. Qui enim nouum sit, quod quam plurimis antiquitatum patriarum indagatoribus, vetustioribus, recentioribus, se ingesit, quodque si disertis verbis minus expressêrunt, penes animum subolfecerunt? Lehmannum in primis miror, cui nostri argumenti euidentia adeo præstrinxit oculos, vt quo se cumque verteret, torqueret, retorqueret; temperare non potuerit, quin excidissent plura in fauorem huius sententiæ dicta: Schatenum deinde, & Conringium, & Monzambanum seu quisquis auctor est libri de statu Imperii Germanici, &, qui ante prima signa collocandus erat, illustrem Consil. Int. de Coccei quorum labores *i*) & facem nobis prætulerunt in plurimis & in nonnullis otium fecerunt. Sed hisce adferendis supersedere fere poteram. Qui enim rationibus parum; auctoritatibus minus mouentur: & ipse, si auctoritates sequi vellem, non paullo aliter sentirem. Quidquid demum huius est, nullius iuribus, vt fieri nequit, ita nec ipsi volumus vt fraudi sit; Deo potius & optimo cuique gratum & acceptum.

---

*decim diebus in anno, Kalendis singulis, hilariter facere sueuit Salomon.* Quumque festiuos Conradi apud S. Gallum lusus longa serie recensuisset, *raro*, inquit, *cœnobium aliud iucundius, quam S. Galli tunc floruit. c. 10.*

*b*) De quibus multa leguntur in Chronicis. Præterquam autem quod hinc Vngri, illinc Nordmanni cædibus & incendiis omnem permiscerent Germaniam, multos quoque a suis hominibus, suorum sacrorum fideique sociis, occisos fuisse reperias e. gr. *Otbertus, Argentinensis Epist. an. 914.* Regiouillano teste; *Bernhardus Spirensis an. 913.* a Comitibus duobus oculis orbatus in carcere magno cruciatu enecatus est. Lehm. Chr. Spir. *Multi enim illis temporibus etiam nobiles latrociniis insudabant.* Regin. Cont. *ad. an. 910.*

*i*) Vid. *c. 4. lit. m.*

# CAPVT VI.
# DE DIPLOMATIS ET SCRIPTORIBVS CONRADI I.

## §. I.

Liceat nobis pace lectoris tumultuaria opera ad calcem adiicere indicem monimentorum, e quibus historiam Conradi I. hauriri & suppleri posse arbitramur. Atque hic *diplomata* regis merito in fronte collocamus, quorum aliqua fragmenta cap. II. ipsi exhibuimus. Numerum octenarium ea vix excedunt: plura saltem nobis, licet horum cimeliorum arculas sedulo excussserimus, inuenire non contigit. Primum monachis Fuldens. datum exhibet Brower. Ant. Fuld. p. 282. alterum Tollnerus *in cod. dipl. Palat. p. 17.* aliud Schaten. *in Annal. Paderb. p. 145.* aliud Stangefol. *in Westphalia p. 172.* aliud Hedamus *in Episc. Vltrai. p. 255.* & Ioan. a Leidis *in Chronic.* aliud denique Freher. *in orig. Palat. p. 174.* & Heilwigius *in Antiq. Laurisheim.*

§. II. Quod ad *scriptores* attinet, Conradus, qui vitam & res gestas suas ex instituto consignaret, nactus est e veteribus neminem. Quamobrem contentos esse nos oportet narrationibus eorum, qui, vt instituto suo satisfacerent, in serie rerum Conradi historiam quoque attigerunt. In his primus est *Wittichindus* ille Corbeiensis, copiosus & apertus scriptor, cuius *libros III. de Saxonum rebus gestis* H. Meibomius *tom. 1.* notis suis illustravit: cui iungimus *Ditmarum* Martisburg. Episc. in eodem argumento versantem; sed Saxonibus suis addictiorem: *restitutum* atque editis hucusque exemplis longe pleniorem emendatioremque exhibet Leibnitius in scriptoribus suis. Sequitur *Eccardus* triualis scriptor *de casibus S. Galli*, quem Goldastus edidit *in tomis rerum Alemann.* Denique *Liuthprandus Ticinens. Diac.* cuius historiarum *libros VI.* caute legendos *suo tomo* inseruit *Iust. Reuberus.*


§. III. Præter hos suppetunt multi *chronicorum compilatores.*

Quo

Quo pertinet *Abbas Prumienſis*, luculentus ſideque dignisſimus auctor: *Hermannus Contractus*, quem pleniorem dedit Chriſt. Vrſtiſius *tom. 1. Marianus Scotus* diffuſior eſt in nonnullis. *Chronicon Laurisheimenſe* amice conſpirat cum *annal. Franc. Fuld.* accuratum eſt in primis, vt & *Chronicon breue S. Galli* apud du Chêne *tom. 3.* & *Annales Hepidani. Lambertus Schafnaburg.* quo, Barthio iudice, nemo politius inter veteres Germaniæ res litteris commiſit, in computatione annorum deprehenditur omnium diligentisſimus. *Sigebertus Gemblacenſis* itidem fœcundus eſt, nec tam multis nugis oneratur, vt *Sigfridus Presbyter. Albertus Stadenſis* forte nimium credulus eſt. *Otto Friſingenſis* & *Gothefridus Viterbienſis* copioſi quidem ſunt; at non ita comparati, vt iis vbique fidere queamus, vtpote ab antiqua rerum memoria nimium remoti. His accedunt ſequiores nonnulli alii: *Gobelinus Perſona, Wernerus Rolewink, Henricus Bodo* in Syntagm. Gandesheim. *Regiouillanus* a Schiltero editus: *Auentinus: Annales Heremi* deiparæ matris a Chriſtoph. Hartmanno producti: *Hugwaldus Mutius: Ioan. a Leidis* & *Aegidius de Roya* in *Script. Belgicis* Fr. Swertii: *Cranzius: Chronographus Saxo.* qui ſequuntur fere veſtigia ceterorum; afferunt tamen e peculiaribus documentis quædam noua.

§. IV. E recentioribus Conradi I. res geſtas articulatius propoſuit *Nicol. Schatenus in Annal. Paderb.* qui non ſolum annos accurate digerere conatus eſt; ſed & res ipſas luculenter enarrauit: ac licet ipſe quoque ſuos manes patiatur, in hoc negotio tamen eo vix carere poſſumus. *Henr. Bœclerus* in rebus *Sæculi X.* circa Conradum adſtrictior eſt neque multa adfert ſingularia. Qui fit igitur, inquis, vt in tanta ſcriptorum omnis generis & omnium ætatum copia de monimentorum paucitate & penuria conqueraris? Verum enim vero iſthæc euoluentibus patet, quam pauca ſint, quæ ad Conradum pertinent, vt haud raro integrum volumen perluſtrandum ſit, in quo vix aliquot verſiculos inueneris, qui faciant ad inſtitutum. Præterea alter alterius ſcrinia bona fide compilauit, vt, peruolutis aliquibus e vetuſtioribus, ceterorum lectione, niſi fabulas ames, ſuperſedere poſſis: quod facile probatu eſt. Sed nos iam hoc non agimus: quin eo velis remisque contendimus, vt portum tandem aliquando conſequamur.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, [68] - 62
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [69] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [70] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [71] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [72] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 67X


XIII. 505
4°

H. Germ. XIII. 40

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [73] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, [74] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170 [75] - [ ]